



Füt. 4° 30.

16.
JOHANNIS JOACHIMI ZENTGRAVII,
DOCTORIS ET PROFESSORIS THEOLOGI,

De

NOVO HOMINE,

ejusque

RENOVATIONE

ET

INDUITIONE,

Ex Col. 3. 10. instituta

DISSERTATIONES:

quibus accessit

DISSERTATIO

DE

POENITENTIA STANTIUM QUOTIDIANA,

ex Rom. 7. vers. 24.

In Universitate Argentoratensi.

ARGENTORATI,

Sumptibus JOH. REINH. DÜLSSECKERI,

Literis JOHANNIS PASTORII, 1701.

118.

angeb. 6,
nr. 1

DE
NOVO HOMINE
ex Col. 3. 10.

DEO feliciter annuente,
In inclyta Argentoratensium Universitate,

PRÆSIDE

DN. JOHANNES JOACHIMO
ZENTGRAVIO,

SS. Theol. D. & PP. Capitul. Thomani Canonico,
& Ecclesiae,

respondebit

M. JOHANNES THEURER,
Argentinenfis.

d. Augusti hor. I. solit.

ARGENTORATI,
Literis JOHANNIS PASTORII. 1700.

INCLUTO
FUNDATIONIS SCHENCK-
BECHERIANÆ
PRÆFECTORUM
COLLEGIO,
VIRIS

AVITA NOBILITATE, OFFICIORUM MA-
GNIFICENTIA, VENERANDA AUCTORITATE, FELICI
CONSILIORUM USU, EXPERIENTIA ET PRUDENTIA
EXCELLENTISSIMIS,

Hoc

Suum Studii Theologici Documentum

cum

obsequii cultu

dicat

M. Johannes Theurer,
Argentinensis.



De

NOVO HOMINE.

ex Col. 3. 10.

§. I.



E novis hominibus cum alibi, tum etiam in *Historia Romana* legimus. Insignis locus est apud *Appianum* de *Bel. Civ. l. 2. f. 428.* De *Catilina* enim autor est, quod cum *Cicero*, illo repulsam passo, consulatum esset assecutus, irridens populi suffragia, eundem *κατὰ τὸν ὀνομαζόμενον* novum hominem appellando, cavillatus fuerit. Quinam autem tales fuerint

appellati, idem scriptor explicat, *καλῶσι δ' ἑπὶ τῷ*, inquit, *τὸς αὐτῶν ἀλλ' ἢ τῶν μεγάλων, γινώσκουσιν*, sic vocare solent eos, qui non majorum gloria, sed suapte virtute inclaruerunt. Competebat his *jus imaginum*, ita ut sui imaginem illis tunc ponere liceret, cum ante nondum licuerit, nec suorum majorum imagines habuerint. Describitur hæc imago a *Polybio*, *l. 6. hist. c. 51. p. m. 689.* quod sit *πρόσωπον εἰς ὁμοιότητα διαφερόντως ἐξειρησμένον, καὶ κατὰ τὴν πλάσιν, καὶ κατὰ τὴν ὑπερασθὴν, vultus similitudo quam accuratissime expressa, tum deformatione figura, tum pigmentis.* In exequiis solebat ea ad funeris elationem proferri, & ubi iusta erant peracta, ponebatur eadem in celeberrima ædium parte. Tali modo sui imaginem nemini licebat ponere, nisi vel ipse, vel ejus majores magistratus *Curules* gessissent. *Novis hominibus* prima vice licebat hoc facere, quod ipsi ex sua gente primi hujusmodi magistratus administrassent. Conf. etiam *Plin. H. N. l. 35. c. 2.* Loquimur vero etiam in scholis Theologorum de *Novis hominibus*, quibus non minus *jus aliquod imaginum*,

A 2

ima-

imaginis sc. divinæ competit, quæ per quotidianam renovationem & sanctificationem in illis restauratur, monente hoc nomine Apostolo Coloss. 3. 10. ut *novum induamus hominem, qui renovatur in cognitionem, secundum imaginem ejus, qui creavit illum*, sic ut reddamur *nova creatura*, 2. Cor. 5. 17. Gal. 6. 15. Meditabimur hac vice nonnulla de *Novo homine*, cujus *inductio* inter præcipua Christianismi exercitia referri debet, satisfacturi DN. Respondentis desiderio. Faxit Deus feliciter.

§. II. Meditationis vero hujus nostræ objectum proximum, & *immediatum*, erunt verba scripturæ, ex quibus quid de *Novo homine* notandum, monebimus, juxta Psalm. 119. 105. Locus est Col. 3. 10. Καὶ ἐνδυσάμενοι τὸν νέον Ἰὸν ἀνακαταμένον εἰς ἐπίγνωσιν καὶ εἰκόνα τῆς κτίσεως τοῦ αἰῶνος. *Vulgatus* sic reddidit Latine: *Et induentes novum eum, qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus, qui creavit illum*. B. D. Sebast. Schmid. vertit: *Et induentes novum, qui renovatur, &c.* Germanice B. Lutherus: *Ziehet den neuen an / der da verneuert wird zu der Erkenntnis / nach dem Ebenbilde des / der ihn geschaffen hat*. His omnibus antiquior B. Ambrosius t. 3. Opp. Comm. in Col. 3. ita reddit: *Induite novum, qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus, qui condidit illum*. B. vero Hieronymus in Comment. hunc locum ita habet: *Induentes novum eum, qui renovatur in agnitione Dei, secundum imaginem ejus, qui creavit eum*. Verum cum in Græco non legitur Θεῦ, Ἰὸ Dei hic redundare observat Erasmus annot. h. l. Conf. etiam Cornel. a Lapid. Com. h. l. Quid vero Apostolus velit, quidq; *novus homo*, & quæ ratio hujus *novitatis*, distinctius notabimus.

§. III. Ex Patribus Græcis B. Theodoretus in Com. ad nostrum l. T. 3. Opp. f. 358. cum ad v. proxime antecedentem, quid παλαιὸς ἄνθρωπος, *vetus homo* sit, dixisset, sc. ἢ προτέρα πολιτεία, *prior vitæ institutio*; ad nostrum vers. ita notavit: Ἄνωθεν γὰρ ἡμᾶς ἐδημιούργησεν ὁ τῶν ἁλῶν Θεός, καὶ Ἰὸς τῆς θείας εἰκόνος χαρᾶ κληῖρας, ἕως ἢ ἀμαρτία διέφθερεν, ἀκριβέστερον ἐν ἡμῖν ἐξέπρωσε, *nos ab initio creavit universorum Deus, & divina imaginis characteres, quos corrumpit peccatum, in nobis perfectius expressit*. B. Chrysostomus autem in Ep. ad Col. c. 3. hom. 8. ad nostrum & vers. præcedentem

dentem hæc observavit: *Opera pretiū est hic quærere, τὴ δὴ ποτε μίλη, καὶ ἄνθρωπον, καὶ σῶμα καλεῖ διεσθαρμένον βίον, καὶ τὸν ἐνάρετον πάλιν τὸ ὄντο, cur membra, & hominem & corpus vocet vitam corruptam & depravatam; & rursus idem, vitam qua recte & ex virtute agitur.* Et nonnullis interjectis, ἰδὲ, inquit, κλίσις ἢ εἰς πολιτείαν λέγεται, ecce optima vita institutio dicitur creatura. Verba autem καὶ εἰκόνα τῆς κλίσεως αὐτῶν, ad imaginem ejus qui creavit ipsum, explicat de imagine Christi; dicitque idem esse, quod καὶ εἰκόνα Χριστοῦ, secundum imaginem Christi. Sequitur hunc ut alias, ita & hic, B. Theophylactus in Enarrat. h. l. Cum enim, quod etiam Chrysostomus notaverat, dixisset, per veterem hominem exprimere Apost. corruptam voluntatem, ejusque turpitudinem, deformitatem & impotentiam; ad verba nostra, καὶ ἐνδυσάμενοι τὸν νέον, & induentes novum hominem, ita scribit: *Novus homo secundum Deum voluntas est, qui nihil inveterascit, sed semper recentior ad Dei cognitionem floret, & augetur, continueq; magis ac magis junior esse arguitur, & quo cognitionis hujusce plus cœperit, majoribus dignatur, eo potentior est.* Pergit: *Secundum imaginem ejus qui creavit eum, hoc est Christi. &c. Nullum enim commiserat scelus, quod sane putredinem profert & vetustatem.* Ex Latinis vero Ecclesiæ Doctoribus B. Ambrosius t. 2. Opp. Comm. h. l. explicat verba Apostoli de renatis, *ut novi facti in Christo, per agnitionem veritatis qua olim latuit, modo autem manifestata per novam legem credentibus, similes fiant imaginis ejus, qui creavit illos.* Addit: *Imago hæc in conversatione hominis intelligenda est.* Item: *Ipse ergo creator hominis, cujus imaginem portare nos jubet in sanctitate, & bonis operibus, qua de Filij Dei agnitione descendunt.* Jungimus ei Hieronymum, cujus in Comment. super nostr. loc. hæc sunt: *In agnitione Dei) cum cognoverit cujus imago est, & in quantum debet, & potest, nititur simulare. Secundum imaginem ejus qui creavit eum) exposuit imaginem in actu consistere.*

§. IV. Audiamus etiam recentiores, qui post Patrum sc. tempora scripturis interpretandis operam dederunt. Ex Pontificis Cardinalis Cajetanus Comment. h. l. f. 157. ita loquitur:

Et induentes, pro \& cum indueritis) similiter in baptismi professione. Novum) h. e. novam vitam. Hominem novum appellat spiritualem vitam fidei, spei, charitatis \&c. eo quod initium est vite aeternae, qua semper est nova nihil defectus habens. Eum qui renovatur) superfluit eum. Dicit utrumque (sc. novum qui renovatur) ut intelligamus non novum in termino, sed in via. Novus enim in termino erit, quum erimus beati \&c. In agnitionem Dei secundum imaginem eius, qui creavit eum. Superfluit Dei) penes quid renovetur explicat, dicendo in agnitionem: h. e. magis ac magis accedendo ad agnitionem, non quamcunq, sed secundum imaginem Dei qui creavit eum \&c. Et significatur per hoc quod homo novus quatenus novus renovatur proficiendo in agnitione similitudinis infusa per fidem, spem, charitatem, misericordiam \& reliquas virtutes infusas. In his enim est imago Dei, in qua creavit novum hominem, quatenus novum. In Paraphras. Epist. ad Colos. Gabriel Vazquez p. 258. locum nostrum ita παραρραζει: Induite novum, eum sc. qui ad cognoscendum qua revelatione nota sunt renovatur secundum imaginem Dei, qui creavit illum. Ad dimus Estium super nostr. l. in Comment. Ep. ad Col. qui cum dixisset, novum hominem ab Apostolo vocari aut novitatem vite, aut potius hominem quatenus per gratiam renovatus est. Cumque indui docuisset primum quidem in baptismo; deinde quotidiano profectu novitatis; nonnullis interjectis pergit: Eum dico hominem, qui renovatur ad agnitionem, id est, ad cognoscendum mysteria revelata, \& sapiendum ea quae Dei sunt; renovatur, inquit, secundum imaginem Dei creatoris; ut sicut in creatione sua factus est ad imaginem \& similitudinem Dei per naturam suam rationalem; ita nunc ad Dei imaginem reformetur per gratiam.

§. V. Ex Calvinianis Tigurinus Theologus Suicerus, Comm. in Ep. ad Coloss. nuper emisso, p. 184. in loco nostro explicando satis prolixus est. Summa huc redit: Novus homo veteri oppositus est homo ad amorem \& obsequium Dei in Christo sanctificatus. Dicitur autem haec peccatoris ad amorem, \& cultum Dei, in Christo sanctificatio novus homo; quia in ea est puri cordis

dis

dis creatio, & spiritus firmi in medio nostri innovatio ↓. §1. 12. Simul atque quis in Christum credit, atque ad ipsius meritum trepide confugit, novum hunc hominem induit, justitia & sanctitate decoratus, Jes. 61. 3. 10. Cum vero hominem ad cognitionem renovari ait Apostolus, quadrupliciter id fieri contendit Suicer., ceu infra examinabitur. Nicolaus Arnoldus, Franequeranus Theologus, in Vindic. & Concil. loc. V. & N. T. p. 446. contra Pontificios, in justificatione justitiam inhaerentem infundi asserentes, verba nostra ad sanctificationem pertinere contendit. Antiquior his Hieronymus Zanchius in Comm. super h. l. f. 90. ita commentatur: *Induti*, inquit, *novum hominem. A quo induti? à Christo. Quid autem est novus homo? Sicut vetus est totius naturæ corruptio: sic & novus est ejusdem naturæ ad imaginem Dei instauratio. Ergo idem homo, seu Christianus, quatenus corruptus est, homo vetus: quatenus renovatur per Dei spiritum, novus homo appellatur ab Apostolo. Qui renovatur. Hac voce explicat illud νέον ἀνδρώπων: Nimirum ita appellari, non quod plane sit novus, sed quod cum deformatus esset, quotidie renovetur. Subdit eis ἐπιγνωσιν καὶ εἰκόνα. Hac particula docet, quomodo renoverur iste homo: Primò ἐπιγνωσιν (nempe Dei ac Christi ex Evangelio per spiritum sanctum.) Secundo, καὶ εἰκόνα τῆς κλιούσης αὐτῶν &c. Sic enim Deus animas nostras renovat; Primum mentes illuminando, & efficaci sui cognitione donando. Deinde corda (voluntatem & affectus) ad pristinam imaginem Dei, qua in justitia & sanctitate vera consistit, reformando.*

§. VI. Ex nostris denique B. D. Aegid. Hunnius in Comment. loc. nostr. sic explicat: *Induitur novus homo, quando convertitur homo, regeneratur, & a peccatis suis per fidem in Christum justificatur, ac spiritu Dei renovatur, regitur & ducitur ad obsequendum Deo. Quemadmodum hujus rei subjicit interpretationem, quando novum illum hominem renovari scribit ad agnitionem & imaginem ejus qui condidit illum &c. Tunc ergo novus induitur homo, quando ad pristinam illam Dei imaginem, in qua lucet agnitio vera creatoris, homo reparatur. Annotatio B. D. Calovij super h. l. in Bibl. Illustr. N. T. f. 840. ita habet: *Induere jubentur novum hominem. Ut vetus homo membris suis**

con-

constabat, quæ corpus quoddam peccati constituebant: Ita & novus homo membra sua habet, novum animum, novum cor, novos affectus, novos motus, novam vitam &c. Accidentaliter hæc novitas est quoad novas virtutum mentis & voluntatis qualitates, dispositiones & habitus, novasque actiones inde prodeuntes &c. Renovatus autem dicitur novus ille homo, quia novus quondam fuit in prima creatione, sed ille exutus est per lapsum, unde renovatione opus est per Spirit. S. quæ in baptismo inchoatur, Tit. 3. 5. sed continuatione opus est, ut de die in diem renovetur &c. Per *ἐν ἡμῶν* vero ad quam renovamur, notitia intelligitur rerum divinarum in genere, qua per natura nostra corruptionem destituitur. 1. Cor. 2. 14. Per imaginem ejus qui creavit ipsum, imago Dei quæ in prima creatione nobis concessa vel concreata est, intelligitur. Adimus his commentationem B. D. Sebastiani Schmidij in Comment. super nostr. L. insinuatam, in tract. autem de Imag. p. 246. sqq. prolixius traditam: & quidem verba quæ habentur, dicto tract. p. 252. Dicimus *ὁ* novus homo nihil aliud est, quam imago, seu idea hominis integri in summa sapientia, justitia, sanctitatis veritatis perfectione, quæ perfectio olim in primo homine Adamo juxta similitudinem Dei condita est: in Christo vero reluxit absolutissima; in omnibus renatis initia, & ut sic dicam, incunabula sua rursus sortita est, magis, magisque in iis perficienda, donec tandem summum suum gradum consequatur, & obtineat, in vita eterna. Pag. 257. notatur, mutationem exuitionis veteris & induitionem novi hominis, non significare mutationem totius hominis, tum quoad substantiam, seu essentiam, tum quoad qualitates, sed tantum quoad qualitates, manente substantia seu essentia. Plura addere nolumus, ne alienis dictis chartam explere velle videamur. Satis adducta loca docent, Commentatores non eodem loqui modo; ita tamen ut sic explicari etiam possint, quo non per omnia sibi contradicant, licet quo minus plene id fiat, domesticæ nonnullorum hypotheses impediunt interdum.

§. VI. Principales autem questiones dicto nostro contentæ due sunt. Altera de novo homine; altera de ejusdem induitione. De illa vero hac tantum vice. Primo omnium vero est notanda particula *καὶ*, & quæ uti notum, copulativa est. *Καὶ ἐνδυσάμενοι*

τὸν νέον (ἄνθρωπον.) Copulat vero hæc non solum diversa dictionis membra; sed & integras dictiones, quibus tota aliqua oratio absolvitur, connectit, ut in nostro fit loco. Dicit enim Apostolus: *Ne mentimini contra vos invicem, exuentes veterem hominem cum actionibus ejus, & induentes novum*: Duoque conjungit renatorum officia, quorum alterum ad quotidianam sanctificationem, alterum ad quotidianam renovationem pertinet. Præterea uti conjunctio copulativa non solum conjungit, sed & nonnunquam in eo cui additur, aliquid ceu eximium, & singulari quadam ratione observandum, commendat, quod etiam à *Glass. Phil. s. l. 3. tr. 7. can. 3. p. 803.* diversis illustratur exemplis; ita & hoc nostro loco Apostolus Colossensibus renatis non solum veteris hominis exuitionem solícite inculcat, sed ut imprimis memores fortis, unde excidimus, ad restaurandam & renovandam imaginem Dei contendant, præcipit, ut in dies abundant, 1. Thess. 4. 2. quasi dicat Paulus: *Nolite mentiri alter contra alterum, cum exueritis jam veterem hominem cum actionibus ejusdem, quæ sunt: Turpia loqui, blasphemare, mentiri: præprimis cum, quod imprimis vos decet, novum etiam induere, & imaginem Dei in vobis restaurare inceperitis.*

§. VII. Ipsam dein quæstionem de novo homine quod at-
rinet, accusat equidem *Elias Prætorius*, de quo vid. *Hoornbeck*
Sum. Controv. l. 6. p. 535. Lutheranos, quod ignorent, quid sit
vetus & novus homo, sed contrarium ostendit *B. D. Müller* in *der*
Warnung contra eundem, p. 330. ostendemusque, Deo bene
volente, his thesibus aliud. *Ἐνδυσάμενοι τὸν νέον* itaque cum ait A-
postolus, satis patet, terminum *νέον*, *novum*, syncategorema-
ticum esse, & adjectivum hoc adjective sumtum respicere sub-
stantivum *ἄνθρωπον*, in priori versu positum, cum diceret Paulus:
Ἀπεκδυσάμενοι τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον, exuentes veterem hominem;
nostro proin loco repetendum, atque h. m. subintelligendum:
Ἐνδυσάμενοι τὸν νέον ἄνθρωπον, induentes novum hominem. Dein-
de etiam non negligendum penitus hoc loco esse censemus arti-
culum *τὸν*. Etsi enim Græcis familiare sit, substantivis articu-
lum etiam sine emphasi præfigere, ceu a nostratibus cum alias,
tum sæpe in certaminibus antiSocinianis potissimum, monetur:

B

Conf.

Conf. D. Scherzer. Colleg. Anti-Socin. disp. 79. p. 646. sq. Non raro tamen emphasi sua non destituitur, eximium, atque certum quid designans atque connotans, ita ut respondeat Ebræorum םה םה םה emphatico, quod proinde etiam םה םה םה quod certi quid notificet, appellari solet, de quo Buxtorff. in thesaur. Gram. l. 2. c. 5 p. 383. Exemplis N. T. hanc articuli vim obtinentibus, & a Glasfio. l. c. l. 3. tr. 2. Can. 1. p. 499. observatis, nostrum adjicimus locum. Quando enim dicitur, םה םה םה TON νέον ἄνθρωπον, non quocunq; modo spectatum novum hominem, sed illū atq; talem, imo hunc, & non alium, qui est ὁ ἀνακαινόμενος, renovatus ille, seu qui renovatur in agnitionem &c. notavit Paulus. Emphasin hanc videtur, ceu supra etiam vidimus, voluisse exprimere versio Hieronymi, cum nostrum sic reddidit locum: *Induentes novum eum; qui renovatur.* Et cum Vulgatus idem fecerit, ita reddens verba םה םה םה τὸν νέον, *induentes novum eum;* licuit suo tempore quidem Cardinali Cajetano in Comment. & enarrat. super h. l. dicere: *Superfluit eum;* cum Canon, & decretum de editione ὁ ἔχουσα ἱερ. librorum, Concilij Trid. sess. IV. ne quis illam rejicere quovis pretextu audeat, vel presumat, nondum esset promulgatus. Retinuit proin Vulgatum Estius in Comment. ad nostrum l. f. m. 140. ostenditque, explicata articuli emphasi, quam interpres addito pronomine eum observatum ivit, id non superfluere, quod Thomas de Vio superfluere perperam censuit.

§. VIII. Explicaturi vero quid per νέον ἄνθρωπον, novum hominem, Apostolus intelligat, & in quo ille consistat, possumus id facere, vel quoad voces has conjunctim & complexe, vel quoad easdem divisim & incomplexe spectatas. Posterior respectus, quid prima & naturali significatione vocabula hæc notent, primo explicat. Hoc nomine ergo quod vocabulum νέος attinget, dicitur illud in oppositione ad τὸ παλαιόν. Jubemur à Paulo v. 9. exuere τὸν παλαιόν ἄνθρωπον, veterem hominem, & induere τὸν νέον. Ex profanis scriptoribus similia oppositionis exempla leguntur apud Stephan. Thesaur. voce νέος, quæ exscribere nolumus. Usurpatur autem vox hæc de rebus, & personis, quarum initia sunt recentia. Unde & per translationem tantum adhibetur ad res, quales sint, exprimendas, quarum initia recentia

tia

tia esse videntur. Renovari autem dicitur, quod reducitur ad illam statum perfectum, in quo à primis sui initiis fuit. Sic renovatae audiunt aedes, quæ cum vetustatis speciem habuerant, vetustæ etiam, imo ruinosae fuerant, per reparationem illam novitatis recuperarunt speciem, quam acceperant, cum primo essent exstructæ. Quando itaque *Paulus* dicit, ut *νέον novum* induamus hominem, vult ut tales iterum fiamus, quales primo in Adamo fueramus creati, inque talem statum rursus restituamur; & ut, licet in hac vita huc pervenire non possimus, contendamus & annittamur tamen, ut ad istam perfectionem & novitatem, quæ in Adamo primo ex creatione erat, & sic ad novitatem naturam nostram integram, & perfectam, quantum fieri possit, redeamus. Notandum tamen, quod seipsum explicans Apostolus, quem nostro loco *νέον ἀνθρώπου* vocavit, Ephes. 4. 24. appellaverit *καινὸν ἀνθρώπου*. Observant alias inter *νέον*, & *καινός*, aliquid discriminis, de quo etiam *Erasm. Roterodam.* ad Marc. 2. f. 127. & Matth. 9. f. 47. notans hoc loco ad verba Christi v. 22. *ἀλλὰ βάλλουσιν οἶνον νέον εἰς ἀσκὴς καινὰς*, mittunt vinum novum in utres novos, sequentia: *Novum & novos non respondent eidem voci apud Græcos. Novum enim dicitur νέον, quod proprie respondet senio, & competit iis, quæ sentiunt ætatem: καινός opponitur vetustati. Est autem & vinis sua quedam ætas, utribus autem aut panno non item.* Censuerim itaque, Paulum eum, quem modo *νέον* appellaverat, alibi appellare *καινόν*, ad significandum, novitatem illam, quæ novum hominem constituit, non in substantia aliqua, quæ ætatem sentire potest, sed in qualitatibus potius, & perfectione aliqua, *subjective* hominis naturæ in hærente, eamque perficiente, consistere. *Νέον* appellat *hominem*, ut alios homines per regenerationem & renovationem nos fieri debere innuat; *καινόν* autem eundem vocat, ut novis perfectionibus, nos qui lapsu Adami pessime corrupti sumus, rursus reddi tales, quales olim fueramus, notet. Illis convenientius *νεότης*, his *καινότης* tribuitur. Utrumque tamen interim recte de homine, ea licet qua diximus ratione, prædicatur. Nimirum eadem res interdum & convescere, & veterascere potest, diverso licet respectu. Unde quo senii & vetustatis statui aliquid contradistinguatur, & *νέον* & *καινόν* dicitur.

§. IX. Novum deinde etiam dicitur, quod est elegans, integrum, & perfectum, nec ullam vetustatem perpeffum, ita ut novitas hoc sensu notet elegantiam, integritatem & perfectionem, quæ datur in rebus, quæ recens factæ, nullum defectum, nullam adhuc vetustatem perpeffæ sunt. Ita *Virgil. Ecl. 3. Pollio, canit, & ipse facit nova carmina*, hoc est, notante *Servio, magna.* Idem Poëta *Aeneid. 9. matæ nova virtute*, h. e. eodem *Servio* explicante, *aut magna, aut revera nova.* Ex Scholasticis *Bonaventura* in l. 2. sent. dist. 15. dub. 4. explicans locum *Hieremi. 31. 22. creavit novum fehova in terra*; & quid *Galat. 6. 15. sit* *κρηνη κλησις, nova creatura?* dicendum, inquit, quod novum dicitur dupliciter. Uno modo quod contra antiquitatem cursus nature, & consuetudinem rationalis creatura: *Uti Deus miraculose & mirabiliter contra solitum cursum nature, & consuetudinis humane agit, & ista nova dici possunt.* Alio modo novum dicitur, cujus nulla similitudo præcessit, nec etiam aliquod principium, quod esset ipsius seminarium. Sic *Ecclesiastes, c. 9. nihil sub Sole novum esse dicit, & sua novitate admirandum*, uti explicat *Orosius Comment. h. l.* Sed neutra harum significationum tñ novi ad novum hominem, de quo in præsentī quæritur, applicari potest. Prior potius hic locum obtinet. Placetque etiam *Chrysofomo, & Theophylacto h. l.* Novus homo enim, & novum h. l. dicitur in oppositione ad verustum, ad id quod vetustate corruptum, collapsum, suaque bonitate, elegancia & integritate privatum est, & ex statu integritatis & perfectionis incidit in statum corruptionis & defectus; ita ut novum, cum de novo homine loquimur, id notet, atque sit, quod nec ullam vetustatem perpeffum, integrum & perfectum est. Conf. *B. D. Seb. Schmid. de Imag. Dei in hom. p. 255. Cajetano* etiam, Pontificio interpreti, *novum est nihil defectus habens.* Acceptionem hanc adde aliis tñ novi significationibus, atque Hebraïsmis, latinis auribus minus notis, de quibus *Flacius* in *Clav. voc. Novus* f. 752. sq.

§. X. Vox *ἀνδρωπ* in textu quidem non extat, subintelligitur autem, & ex vers. proxime antecedenti repeti debet, ob contradistinctionem, qua *novus* homo *veteri* homini contradistinguitur, quæ nostro loco manifesta est. Sunt etiam *παλαιὸς ἀνδρωπ*

ἀνδρωπ

ἀνδρῶν ὁ, *vetus homo, qui exuendus, & νέος ἀνδρῶν ὁ, novus homo, qui induendus, duo opposita contraria, & duæ formæ contrariæ, circa idem subjectum, hominem renatum nimirum, (nam cum renatis Colossensibus agit Apostolus h. l.) pugnantes, ex isto, eodemque subjecto se tollentes, atque invicem expellentes, cui successive inesse ambæ aptæ sunt. Adæquata etiam hæc sunt contraria. Unde quando de alterius exuitione, de alterius autem induitione agitur, ibi de veteri, hic vero de novo homine fermo sit necesse est. *Mixtos enim mortales, qui veterem hominem ex parte exutum tantum, novum vero è parte tantum indutum velint, scriptura non probat, Apoc. 3. 15. uti respectu albi & nigri naturæ in corpore sæpe non displicet flavedo. Ad nondum regenitorum, vel relapsorum ordinem tantum, huiusmodi homines ambigui referendi sunt, qualis apud Romanos fuit Catilina, de quo Cicero in Orat. pro M. Cæli. P. 139. sq. multa huius generis refert, quod permulta maximarum non expressa signa sed adumbrata virtutum habuerit. Erant, addit, apud illum illecebræ libidinum multa: erant etiam industria quidam stimuli ac laboris. Flagrabant vitia libidinis apud illum; vigeant etiam studia rei militaris. Neque ego usquam fuisse tale monstrum in terris ullum puto: tam ex contrariis diversisque inter se pugnantibus nature studiis cupiditatibusque conflatum. De Sylla ait Velteij. Patercul. l. 2. c. 25. quod in eodem homine duplicis ac diversissimi animi conspiciebatur exemplum. Quanquam enim quod renatos attinet, in illis etiam stantibus, detur lucta inter carnem & spiritum, Roman. 7. 6. 15. sq. 23. Gal. 5. 17. quales tamen mixti dici jure non debent, cum spiritu carnem vincant, eandemque cum concupiscentiis crucifigant, Rom. 8. 1. 13. Gal. 5. 16. 24. ἀσχομοί sint, 1. Cor. 5. 7. spiritu ambulent, nec opera carnis, ejusque concupiscentias peragant, Gal. 5. 16. ἵνα περισσεύωσιν, ut semper magis abundant. 1. Thess. 4. 1. Sensus mali, quem carnem suam abnegantes adhuc experiuntur, Rom. 7. 23. sq. non facit illos *monstra ex ingentibus virtutibus & vitiis conflata, uti loquitur de Galeacio Sfortia Ubertus Foliet. vi. t. ej. l. xi. sic ut tali modo mixti dicendi non sint; infirmitatibus licet obnoxii experiantur etiam legem in membris suis, repugnantes***

tem legi mentis, captivantemque eos lege peccati, quæ est in membris illorum, ut etiam exclament: *me miserum! quis me eripiet à corpore mortis hujus.* Rom. 7. 24. sq.

§. XI. Alias primo & famosiori significato quid ἀνδρωπιτ sit, notum est. Prout nec necessaria est disputatio de partibus ejus; an ex tribus sc. constet, corpore, anima & spiritu, ceu ex 1. Thes. 5. 23. nonnullis, inter quos ex veteribus *Irenæus* 5. c. 9. *Fevardentio* in Not. ad h. l. fuisse dicitur, alios notante B. D. *Bebelio* Antiq. sec. IV. P. I. p. 1138. §. 72. affirmare placuit, nostrorum etiam temporum Fanaticis nonnullis annuentibus; quibus associat *Gottfridus Arnoldus* in Hist. de hæret. P. II. l. 17. c. 19. §. 36. f. 672. *Johann. Böhmius*; negantibus vero, & aliter istum locum, rectiusque explicantibus ipso *Megalandro Luthero* t. I. Altenb. f. 758. & *Minister. Tripolit. Lubecens. Hamburg. & Lüneburg.* im ausführlichen Bericht von den neuen Propheten §. 326. *Balduin.* in Comment. ad l. c. q. ad v. 23. Patres autem vindicante *Bebelio* l. c. §. 73. An vero homo sit tantum sua anima, nulla vero ejusdem pars essentialis corpus, olim post *Platonem*, *Philolaum* Pythagoricum, & alios, de quibus *Clemens Alexandr.* 3. Strom. f. 433. inter Ecclesiæ doctores etiam asseruit *Origenes*, qui l. 4. μετὰ ἀρχῶν homines appellat ψυχὰς χραμένους σώματιν, *animas corporibus utentes*, negante contra recentiore quendam, id ingenii licet, & exercitii tantum causa, ut opinari fas est, asserentem (*B. Johann. Freinshemium*) B. *Dannbauero* nostro *Hodol.* p. 422. & contra *Episcopium*, Remonstrantium primipilum, sceptice hic disputantem, B. D. *Calovio* in *Arminian.* p. m. 162.

§. XII. A propria significatione, quæ tam mari quam fœminæ competit, Rom. 7. 1. Gen. 1. 27. explicatum etiam *Clementi Alexandrino* Pædag. l. 1. c. 4. sub fin. transfertur vox homo ad significandum varia attributa, utrique etiam sexui communia. Ita enim notat aliquando subjectionem, & servilem conditionem, quæ tam in mares, servos sc. quam in fœminas, ancillas nimirum, cadit, uti & Græcis ἀνδρωπιτ servus est interdum. Vid. *Meurf.* Gloss. Græcobarb. Gallis vero τὸ homme significat *Vassallum*, *Clientem*, apud *Nicot.* in *Thresor.* voc. *Homme.* Non minus scripturæ sacræ usu ad varios, & diversos hominis status con-

con-

connotandos, vox hæc transferri & usurpari solet. Sic enim v. c^o homo alius dicitur *internus*, alius *externus*, 2. Cor. 4. 16. qua distinctione certus hominis status, certa que ejusdem conditio intelligitur, secundum quam, & virtute cujus, ista corruptio & renovatio homini renato accidit. Nimirum non ipsius hominis essentialiter considerati, seu essentiae, sed qualitatatum in homine, & hinc exorti status certa immutatio innuitur; ita ut *externus homo* notet exteriorem istam, per affectuum impetus, & membra corporis, tam vehementer erumpentem, in nobis residuam carnalem conditionem, imaginemq; veteris Adami, seu hominis corrupti, ab inhabitante peccato, Rom. 7. proveniente, & per varias tribulationes etiam, de quibus v. II. sqq. tanquam malum medicinale adversus has peccati in renatis reliquias convenientissimum, immutandam, ita ut quicquid in nobis superest carnis & veteris Adami, per crucem in dies attenuetur, frangatur, atq; destruat, donec, quod in altera fiet vita, penitus a malo hoc liberi facti fuerimus. Pari ratione *internus homo*, qui ἀναγεννῶται ἡμέρα ἕ ἡμέρα, h. e. de die in diem renovatur, est status hominis renati, qui per interiorum mentis, voluntatis, & affectuum ejusdem, ne tam fæde in vitam exteriorum erumpant, immutationem, & restorationem novarum qualitatatum à Deo creatarum, quæ animam primo exornant & perficiunt, exoritur; ita ut de die in diem ad justitiam originalem, & perfectionem, quæ in primo homine reluxit, & sic ad primum integritatis ac justitiæ originalis statum, quantum per imbecillitatem humanæ naturæ licuerit, homo reducat. Eximia sunt quæ hic habet D. Dannhau. Hodol. p. 925. sq.

§. XIII. Similiter censendum est de *novo homine*, si *complexe* jam quid notet explicandum: Quod sc. notet novum istum hominis statum, statum sc. integritatis, in quo primus homo erat conditus, in summa sapientiæ, justitiæ, & sanctitatis perfectione; & sic ipsam primigeniam Adami integritatem, sapientiam, sanctitatem & justitiam. Respicitur nimirum ab Apostolo ad imaginem Dei, secundum quam primus homo creatus fuerat, quæq; in eodem reluxerat, Gen. 1. 26. sq. c. 2. 19. 20. 25. quam vero per lapsum amiserat, Gen. 3. 7. ita ut non ulterius ad
ean-

eandem, sed ad suam corrupti hominis imaginem, peccato veterascentem, ut loquitur B. Augustinus de Genes. ad lit. l. 3. c. 20. f. 539. t. III. opp. liberos ex Eva susciperet. Gen. 5. 3. Ad imaginem hanc renovari nos vult Apostolus, καὶ εἰκόνα τοῦ κτίσαντος, secundum imaginem ejus qui creavit nos; ita ut νέος ἄνθρωπος, novus homo, h. e. novus hominis status, ad quem contendere debemus, ut in eundem restituamur, qui est novarum spiritualium in nobis qualitatum, à Deo creatarum, Deique imaginem rursus ejusque lineamenta referentium, sit ἀναγεγνημένος, status renovatus secundum imaginem ejus, qui hominem condidit, & in qua etiam primo iste fuerat conditus. Præterea considerandum, quod de novo homine dupliciter loqui possimus: Vel concrete, pro ut notat hominem renatum simul cum ipso novitatis, seu integritatis statu, atque perfectionibus in Adamo quondam refulgentibus, novisque qualitatibus, quibus hodie exornamur: Vel abstracte, pro ipso novo, & integro justitiæ originalis statu, in quo primus homo fuit, quatenus is restaurandus & rursus induendus est; hoc est quatenus hominem anniti decet, ut eundem obtineat. Applicando hoc ad nostrum locum dicimus, τὸν νέον ἄνθρωπον abstracte ab Apostolo jam spectari, ut induendum, & ἐνδυσσάμενοις, induentibus, proinde contradistinctum. Vult enim ut simus ἐνδυσσάμενοι τὸν νέον ἄνθρωπον, induentes, h. e. ut induamus novum hominem. Non ergo per novum hominem intelligitur ipse renatus, qua per novas, à Deo creatas qualitates, est renovatus. Renatus enim hominem renatum, & sic alium hominem, ut substantiam notat, non induit.

§. XIV. Quod autem per novum hominem malimus statum novitatis originalis potius, & integritatis pristinae, in qua Adam fuit justitia originali præditus, quatenus per renovationem rursus induendus est, quam ipsam præcise integritatem, & summam sapientiam, justitiam & sanctitatem intelligere, manifesta ratio est. Sumitur enim quando de statibus humani generis loquimur, B. Meisnero explicante in Anthropol. dec. I. disp. I. q. I. p. m. 3. status pro modo, conditione, aut dispositione alicujus naturæ. Add. Luis. Turrian. de Grat. disp. 2. dub. 1. p. 5. Gregor. de Valent. t. I. f. 1437. sq. Unde quando Apostolus, præcipiendo ut novum indua-

indua-

induamus hominem, vult ut renati dent operam, quo eodem se modo rursus habeant, prout se habuerant, atque dispositi fuerant in Adamo, in quo ad imaginem Dei creati erant, oruati summa integritate, & sapientiae, iustitiae & sanctitatis perfectione, & sic primam naturae suae dispositionem & conditionem pro hujus vitae statu recipiant; recte *novus* homo de primo & integro humani generis statu, in quem denuo investiendi sumus, explicatur. Insuper quia novitas haec non habitum tantum, sed & actus, ipsum sc. habitualium donorum exercitium, & sic renatorum quotidianum officium complectitur, recte dicitur, *novum hominem* describere statum renatorum qua talium, & notare statum pristinum cum suis dignitatibus ad quem contendere rursus debeant. Patet autem antecedens ex verbis v. praecedentis 9. *Nemintimini contra vos invicem, exuentes veterem hominem cum actionibus ejus.* Sicut itaque vetus homo non tantum habitualement pessimam corruptionem hominis lapsi, in summam ignorantiam, injustitiam, omnemque foeditatem & mendacium praecipitati notat, sed simul habitualium harum pravitatum actus foedos complectitur; ita cum contrariorum sit eadem ratio, novus homo non tantum sanctitatem, sapientiam & iustitiam significat, sed simul etiam actus harum qualitatum infert. Praecipit hinc Apostol. Rom. 6. 4. *ut in novitate vitae ambulemus.* Consentiant etiam interpretes: *Chrysostomus*, explicans *novum hominem, novam creaturam, de vita qua recte & ex virtute agitur; de αἰσθη πολιτεία*: *Ambrosius*, de hominis conversatione imaginem hanc intelligens, & quod jubeat Apostolus creatoris imaginem portare in sanctitate, & bonis operibus &c. *Hieronymus*, expresse notans imaginem in actu consistere. Addantur ex Pontificiis *Cajetanus, Estius.* Loca supra adduximus. Nec aliter nostrates intelligendi sunt, qui quando de mutatione, quae quoad qualitates novas fit, quas Deus creat, loquuntur, vitae sanctitatem, & actionum externarum sanctimoniam, non excludunt. *B. Calov.* l. supra cit. partem *novi hominis fecit novam vitam.* Hinc *B. Joh. Arndius* *Christ. l. 1. c. 15.* Das ist nun inquit, der neue inwendige Mensch mit seinen Gliedern, es sind Früchte des H. Geistes, es ist der lebendige thätige Glaub, es ist Christus in uns, und
C sein

sein edles Leben / es ist der neue Gehorsam / &c. Et nonnullis interjectis de eodem *novo homine* differens, dicit / inquit, ist das Bildniß Gottes in Christo / und in uns. Hac vero vitæ exterioris sanctitas, cum interioribus piis motibus, atque justitiæ, sanctitatis, & sapientiæ tam actualis quam habitualis perfectione conjuncta, in certa conditione atque statu hominem constituit, in statu nimirum primævæ integritatis; & quidem in hac vita tantum inchoatæ, cum qualitates istæ in hac vita tantum imperfecte a nobis acquirantur, & sic status integritatis tantum restitui incipiat. A statu ergo integritatis cum inseparabilis sit hominis integri summa sapientiæ, sanctitatis & justitiæ perfectio, ceu per quam status iste in esse status integritatis constituitur, ita ut sapientia ista & sanctitas in nobis restitui non possit, nisi simul status integritatis restituatur, in quem ut restituamur, liberati a statu peccati & vetustatis, etiam omni studio renati anniti debemus; nil impedit quo minus dicamus, Paulum per *novum hominem* revocare nobis in memoriam ipsum *statum integritatis*, & originalis justitiæ, qui utramque complectitur, & habitualem, & actualement justitiam; statum divinæ imaginis in nobis à Deo restauratæ; statum summæ perfectionis, statum vitæ sanctæ & bonorum operum; sic ut ad illum contendamus, alii redditi homines, quam naturâ sumus, in statu miseriæ & corruptionis per peccatum agentes; novi scilicet, rursus constituti, & indies magis constituendi in statu integritatis, & perfectionis, quæ quotidie crescere debet, cum augmento quotidiano sapientiæ, justitiæ, & sanctitatis. Quî ubi perfectus fuerit in altera vita, non gradum perfectionis tantum, sed perfectionem summam sapientiæ, sanctitatis & justitiæ, non habitualis tantum, sed & actualis connotat. Favet huic explicationi etiam vox *ἐν δυνάμει*. Status enim in quo aliquid est, qui eidem velut substernitur, ut in eo suas edat actiones, *Pufendorf. J.N.G. i. 6.* concipitur velut aliquod adjacens externum, sicut vestimentum aliquod corpori adjacet, licet non repugnet id, per quod aliquid est in certo aliquo statu, certoque modo se habeat in ordine ad finem suum, & ad suas actiones, intrinsecum quid eidem esse. Unde quemadmodum nil obstat, quo minus dicamur

mur

mur certæ alicujus personæ statum induere, vel induere certam aliquam personam; ita nil impediatur quo minus dicamus, novum hominem induere, esse induere statum novi hominis, h. e. statum integritatis, quatenus per quotidianam renovationem is in nobis restauratur. Addimus ad dicta ulterius probanda, & illustranda etiam hoc. *בצלמנו* in imagine nostra faciamus hominem, dixit Deus Creator, Gen. 1. 26. Creatus itaque homo, cum è manibus Dei prodiisset, stetit *בצלם אלהים* in imagine Dei, ut scriptura loquitur l. c. v. 27. denotante, ceu eximi monet B. D. Sebast. Schmid de Imag. Dei, p. 64. *ב* præfixo, & formula hac, statum atque conditionem hominis, ita ut in statu novi hominis, vereque novus homo fuerit. Licet vero Apostolus non dicat, quod debeamus vivere in novo homine, dicit tamen renatos debere novum hominem induere. Consideratur itaque novus homo in præsentia, non præcise secundum esse sui, ut notat præcise integritatem primævam, sed qua induendus. Sub hoc autem respectu infert certum statum, ita ut *בצלם אלהים* in imagine Dei constitutum esse, & novo homine actu indutum esse, formaliter idem sint, eandem rem notent, eundemque statum, integritatis sc. significant: Sic ut novum hominem induere, & novo homine indutum ambulare, idem sit, ac contendere ad integritatis statum, & in eodem versari.

§. XV. Explicatio hæc ex visceribus textus eruta, non solum doctrinam nostratium de renovatione perspicue, & solide probat, sed & veterum commentationes, & aliorum qui dissidere videntur conciliat, ostenditque aliquid eos dixisse, si vel maxime non omnia dixerint. Aliter tamen statuendum de explanationibus Pontificiorum Theologorum, quas adduximus, quæ etsi nobiscum videantur consentire, revera tantum non consentiunt, recte id ex Calvinianis taxante Arnoldo, loco sup. cit. Confundunt enim justificationem cum sanctificatione & renovatione, ad justificationis formam id referentes, quod sanctificationis & renovationis est. Cajetanus hinc in Com. ad I nostrum, novum hominem spiritualem vitam fidei, spei & charitatis esse fingit. Præviæ hæc dispositiones sunt, quibus adulti ad ipsam justitiam recipiendam disponuntur. Dispositionem hanc,

seu preparationem, justificatio ipsa consequitur, quæ explicante Concil. Trid. sess. VI. c. 7. non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum: unde homo ex injusto fit justus. Hinc Becanus, de cujus æquivocationibus quid habendum sit, dudum Theologiæ studiosos monuit B.D. Hülsemann, noster in Method. Stud. Theol. p. 300. in Theol. Schol. P. II. t. pr. tract. 4. c. 3. q. 5. n. 9. p. m. 378. justificationem, primam sc. dicit includere & hanc partialem mutationem, quæ consistit in sanctificatione interioris hominis. Non negamus equidem, justificam gratiam etiam esse sanctificam, Eph. 5. 26. Ast specialius acceptam, & spectatam secundum effectus, quos Pontificij etiam eidem tribuunt, sanctificatio à justificatione differt, non ut pars à toto, sed ut penitus diversa. Loquitur enim in textu nostro Apostolus cum jam justificatis, quos vult novum induere hominem. Regenitorū etiam, & jam conversorum, est gratia Spir. s. sanctifica. I. Cor. 6, II. Consentit, & in nostram id sententiam explicavit rectius etiam gloriosus Martyr Irenæus, contr. hæret. l. 5. c. 12. Cum enim veterem hominem, pristinam nostram conversationem, eam qua veterascit & corrumpitur, notare dixisset, addit renovationem fieri per agnitionem Dei. Integer Apostolici viri locus sic habet: In eo quod ait, Apostolus sc. qui renovatur in agnitionem, demonstrabat, quoniam ipse ille, qui ignorans erat ante homo, id est ignorans Deum, per eam quæ est in eum agnitionem renovatur. Agnitio enim Dei renovat hominem. Recte hoc dicitur; erronee vero, si τὸ renovat', idem est quod justificat.

§. XVI. Plane vero impertinens est interpretatio Tatiani, discipuli Justini Martyris, magni in Ecclesia ante lapsum viri. Pietaster hic, & Sanctulus cum factus esset, ipsum etiam matrimonium in renatis atrociter conviciatus, (frustra hominis hujus impietatem benignius more suo interpretante, ceu alibi notatur, Gotofredo Arnoldo in Hist. de Hæret. P. I. l. 2. c. 4. §. 39.) in I. περὶ τῆς κτὶ τὸν Σωτῆρα κτὶ πομῆ, de perfectione secundū servatorem, in fragmento quod conservavit, exhibetq; Clemens Alexandr. 3. Strom. f. 460. disputans de veteri & novo homine, παλαιὸν μὲν ἄνθρωπον νόμον, καιρὸν δὲ τὸ Εὐαγγέλιον, veterem quidem virum, legem; novum

novum autem Evangelium esse dicit. Atqui vero etiam legis, ejusque ut explicat Form. Conc. p. 720. tertius usus, in exiitione veteris, & induitione novi hominis insignis est, tum ob renovationis imperfectionem, & veteris Adami reliquias, tum ob cultus & vite Deo placentis normam, tum etiam ob inanem perfectionis persuasionem. Conf. B. Carpzov. Isag. p. 1381. Ita ut ipse novus homo, quo recte induatur, legis doctrina indigeat, ne, ut eximie Form. Conc. p. 722. explicat, credentes propria quadam sanctimonia religiosum vite genus de suo ingenio excogitent, & sub pretextu spiritus Dei electitios cultus sine verbo & mandato Dei instituunt. Item ne sibi imaginentur, & persuadeant, vitam & opera sua omnino pura, & perfecta esse: quæ prolixius per totum articulum præclare explicantur. Licet itaque in circo justificationis Lex & Evangelium locum simul habere nesciant, in circo tamen sanctificationis & renovationis, & sic in praxi, conjunguntur. Bonos etiam motus Deus per legem dirigit, per Evangelium autem efficit. Id vero scelere non caret, quod Tatianus legem, ὡς ἀλλοθεῖ, ut alterius Dei, dissolvat, explicante Clemente Alex. l. c.

§. XVII. Reformatorum Theol. quos adduximus, quod attinet interpretationem, *Suicernus*, ceu supra notatum, in Com. super nostr. l. cum *novus homo*, inquit, *veteri oppositus, est homo ad amorem & obsequium Dei in Christo sanctificatus*, potius quid is sit in sensu consecutivo explicat, quam in sensu formali. In statu enim pristinae integritatis, & justitiæ originalis, iterum constitutus homo, in sapientia, justitia, sanctitate & veritate, Deum amat, & ad obsequium Dei voluntatem compositam habet. Quod vero idem nonnullis interjectis rursus addit: *Simul atque quis in Christum credit, atque ad ipsius meritum trepide confugit, novum hunc hominem induit, justitia & sanctitate, ceu candida, sacerdotali & regia veste decoratus. Is. 61, 3. 10. 62, 3. Apoc. 3. 18.* manifestum est, quod Pontificiorum exemplo, justificationem cum renovatione confundat, & in illa fieri fingat, quod non nisi in hac fit. Inherentem justitiam, sanctitatem, & sapientiam, quæ in vera agnitione consistit, intelligit Apostolus h. l. non imputatam, de qua verba Pauli explicat

cat *Theologus Tigurinus*. De renovatione enim, non de justificatione Apóstolo sermo est. Melius *Suicero* loquitur *Zanchius*, cui *novus homo* significat naturæ hominis corruptæ *ad imaginem Dei instaurationem*, ita ut homo, qui per naturam corruptus est, *quatenus renovatur per spiritum Dei*, dicatur *novus homo*. Verum ne sic quidem ad mentem Apóstoli per omnia hæc recte se habent. Aliud enim est *homo novus simpliciter*: aliud *homo novus* ut à nobis *induendus*. De hoc, non de illo sermo est Apóstolo. Non morose repugnabo, etiam hominem renovatum per spiritum Dei, posse dici *novum hominem*: sed *homo novus induendus* non satis commode sic explicatur. Ille enim dicitur *novus homo*, *novi hominis induendi* induitione actuali factus. Hic vero sic audit, quod ab alio, a corrupto sc. homine, ut novus etiam fiat, & dici possit, indui debet; id quod fit, si talis ex corruptionis statu restituitur in statum integritatis, & justitiæ originalis, tam actualis, quam habitualis.

§. XVIII. Certi status itaque, primævæ sc. integritatis spiritualis, & justitiæ originalis, quæ primo homini concreata fuit, & in nobis restaurari debet, per Sp. s. gratiam sanctificatricem & renovatricem, induitionem cum notet hæc induitio novi hominis, infertur hinc ulterius, quod cum de *novo homine* Paulus loquatur, etiam totius hominis renovatio ab eodem præcipiatur, & nobis curæ cordique esse debeat. Constat homo ex anima & corpore. Animæ facultates sunt mens, voluntas, affectus. Prout itaque peccatum originis infert corruptionem totius naturæ humanæ, & omnium virium, & facultatum ejusdem: Ergo quando jubemur induere novum hominem, novitas totius hominis, & spiritualis immutatio & renovatio quoad mentem, voluntatem, affectus, & totum cor humanum ab eo injungitur. Quin & corporis novitas præcipitur. In mente ut refulgeat sapientia, Col. 3. 10. in voluntate justitia, in corde & affectibus sanctitas, Eph. 4. 24. nec demus membra nostra instrumenta injustitiæ peccato. Rom. 6. 12. sq. Sic recte novus homo indui dici potest, si qui lapsus, & misere quoad partes & facultates suas corruptus est, quoad easdem renovatur, &
in

in pristinum integritatis, & perfectionis statum restituitur. Conf. etiam B. D. Calov. in Bibl. Ill. ad Col. 3. 10. f. 840. & quæ pie habet B. Arndius Christianism. l. 3. 15.

§. XIX. Infertur præterea ex his, quod *novitas* hæc, quæ novum hominem constituit, non *essentialis*, aut *substantialis*, sed *accidentalis* sit; nec *essentialem*, sed *accidentalem* tantum mutationem inferat, non quoad substantiæ immutationem, sed quoad novas virtutum mentis & voluntatis qualitates, atq; dispositiones, in novas actiones exeuntes. Opponimus hoc novis illis Fanaticis, de quibus B. Gerhard. Dispp. Theol. P. II. disp. de Nov. Fanat. §. 16. p. m. 586. qui *conglobatos & conglomeratos errores Valentinianorum, Chiliastarum, Manicheorum, Enthusiatarum, Donatistarum, Schvvenckfeldianorum, Elacianorum, Osiandristarum & Anabaptistarum ex orco revocantes statuunt, per regenerationem aboleri corporis prioris substantiam, ac manente anima eadem, dari corpus novum essentialiter à priore differens, ac qui illo modo regeniti sunt, eos non amplius in carne peccatum habere, nec ulla ratione fieri posse, ut iterum peccent.* Induimus enim tantum novum hominem, non vero in illum transformamur substantialiter, manente reali differentia inter induentem & indumentum. Prolixius refutavit hoc delirium B. Gerhard. l. c. Disciplinam *Elie Prætorij*, stautentis, quod *essentia novi hominis sit Christus* *ἡ εἰς ἡμᾶς* (mit seinem heiligen Wesen) examinat D. Joh. Müller in der Warnung contr. eundem p. 127. Aliud est Christum, qua *is exemplum* nobis reliquit, vita, & affectu exprimere, 1. Pet. 2. 21. sq. Philipp. 2. 5. & pro novi hominis absolutissimo exemplo quodam habere, atque credere, quod in ipso sit novus homo perfectissime, quod cum B. Dn. D. Seb. Schmidio nostro extract. de Imag. p. 251. affirmare non veremur, pie explicatum B. Arndio. l. c. & aliis; aliud contendere, novum hominem esse ipsum Christum, quod cur dici non possit, explicat l. c. Seb. Schmid. l. c. Idque etiam contra *Weigelium* asseritur, cujus verba ex Postill. P. III. p. 16. *Arnoldus* in Hist. de hæret. P. II. l. 17. c. 17. §. 22. f. 625. sic exposuit: *Ziehe Christum an/ziehe an den neuen Menschen/ als denn wird dir auß Gnaden zugerechnet/ was Christus für dich gethan.*

gethan hat / sonst bleibest du ewig verdampt mit deiner *imputation*,
mit der *impletione legis per mortem Christi*. Non solum enim, ne
de *Osiandrismo* quid dicam, qui non absque ratione eidem ob-
jectus fuit, confundit justificationem cum sanctificatione, &
renovatione, sed & Christum novum hominem induendum fin-
git, quod cum nostro loco componi non potest. Opponimus
hoc etiam *Stifelij*, *Methij*, & aliorum doctrinæ de *inhabitatio-
ne Christi* in nobis, de qua *Arnold*. in *Hist. de hæret.* P. III. c. 4.
§. 52. quæ *Osiandrisimum* olet.

§. XX. Colligitur etiam & infertur ex dictis, quid de
glossa *Bellarmini* haberi debeat, quando t. IV. l. de grat. prim.
hom. c. 3. §. similis locus &c. verba nostra sic explicat: *Homo
qui renovatur in agnitionem secundum imaginem Dei, ad quem
initio conditus fuerat, animus noster est, qui per Christi gratiam
quotidie proficit in agnitione Dei, & sanctitate ac justitia.* De-
scribitur enim, sicut ex supra dictis patet, *novus homo* ab Apo-
stolo per modum adjuncti, non per modum subjecti. Est id *novus
homo*, quem induere rursus debemus; quoniam, ut queritur *Ada-
mus* apud *Irenæum* cont. hæres. l. 3. c. 37. *eam quam habuimus, ab
initio sc. à spiritu sanctitatis stolam, amisimus per inobedientiam.*
Animus vero est *subjectum* induitionis quo, in quo amissa con-
creata sapientia, & cognitio illorum quæ sunt spiritus Dei, 1.
Cor. 2. restitui debet. Nec est quod cum *Bellarmino* quis in-
stare velit, *in animo hominis renovari divinam imaginem, quæ per
peccatum obscurata fuerat.* Utrumque enim recte renovari
dicitur; & *subjectum* vetustate corruptum, in quo restauratur
imago Dei vetustate expulsa, quatenus novitas in illud rursus in-
troducitur; & *forma*, dum ex natura hominis deleta, & extincta,
divina virtute denuo in homine reparatur, & renovatur.

B. D. *Sebast. Schmid.* de *Imag. Dei* p. 260.

☀) ** (☀)

DE

angeb. 6,
NW. 2

NOVI HOMINIS
RENOVATIONE

ex Col. 3. 10.

DEO feliciter annuente,

In inclyta Argentoratensium Universitate,

PRIORI VICE,

PRÆSIDE

DN. JOHANNES JOACHIMO
ZENTGRAVIO,

SS. Theol. D. & P. P. Capit. S. Thom. Canon.
& Ecclesiae,

Patrono, Fautore & Præceptore venerando,

respondebit

JOH. FRIDERICUS REEM/
Argentinenfis.

d. Septembr. hor. 1. solit.

ARGENTORATI,

Literis JOHANNIS PASTORII. 1700.

ILLUSTRI
LIBERALITATIS OTTO-
NIANÆ
RÆFECTORUM
COLLEGIO:

VIRIS

Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis,
Consultissimis,

Maximè Reverendo, Experientissimo, Excellentif-
simis, Gravissimis,

Dominis Patronis & Mœcenatibus Gratiofis,
summâ observantia colendis,

Pagellas hæc Theologicas

cen:

animi non ingrati monumentum:

offert:

TANTORUM NOMINUM

cultor & cliens devotus:

JOHANNES FRIDERICUS RÆZNI
Argentinensis.



DE
RENOVATIONE
NOVI HOMINIS

ex Col. 3. 10.



DE *Novo Homine* ex Col. 3. 10. alia egimus occasione, ostendimusque, illo ab Apostolo significari statum pristinae integritatis, quatenus ille cum justitiam originalem habitua- lem, quæ summa sapientiæ, justitiæ & sanctitatis perfectione absolvitur, in qua primus homo olim ad imaginem Dei conditus fuit; tum ab originali ju- stitia provenientem actualem, ein thätiges Christenthumb/ com- plectitur, & in nobis, post sui per lapsum primi hominis corrupti- onem, restaurari, & de novo introduci debet, ita ut deposito vetu- stæ corruptionis statu, in novo integritatis restauratæ constituti, novi; hominis, integri illius, cujus summa sapientiæ, justitiæ & sanctitatis perfectio olim fuerat, forma induti, etiam in *novitate vite ambulemus*, Rom. 6. 4. rursus vere novi homines, h. e. alii, atque ex vetustate carnis eramus, & renovati facti. Qua vero ratione hic integritatis status restauretur, in quo renati per Spi- ritum sanctum constituti sumus; justitia etiam hæc & sanctitas, vitæque novitas actualis, quo pacto nunc se habeant, docet Apo- stolus, cum de *novi homine* dicitur, quod sit ἀνακαινόμενος, h. e. *qui renovatur*: Cujus renovationis terminus est ἐκείνου κατὰ τὴν κλίσην αὐτοῦ, agnitio secundum imaginem ejus qui creavit eum. Nimirum novus hic homo, qui hodie à nobis induitur,

est per renovationem talis, qui pridem talis erat per creationem; renovaturque adhuc hodie in renatis omnibus, ceu ad mentem, & verba Pauli producta, distinctius aliquanto notabimus. Deus adsit!

§. I. Quando itaque de *novi homine* dicitur, quod sit ἀνακαινόμενος εἰς ἐπίγνωσιν καὶ εἰκόνα τοῦ κτίσαντος αὐτὸν, qui renovatur in cognitionem, secundum imaginem eius qui creat illum: Observamus 1. quid sit ἀνακαινόμενος. Varia autem in mentem nobis hoc participium passivum verbi praesentis revocat. Primo ipsum subjectum ἀνακαινόμενον, quod renovatur; quod est *novus homo*. Significatur nimirum, status integritatis primæ amissæ per lapsum, quatenus in justitia originali & vitæ sanctitate consistebat, restorationem in renatis fieri per renovationem, quæ cum regeneratione immediate cohæret. Tit. 3. 5. Nimirum, cum renatos alloquatur verbis nostris Apostolus, monitum etiam Ambrosio tom. 3. opp. Com. h. l. utrumque dici potest, & renatos esse *subjectum renovationis*, quatenus novum hominem induere debent, ejusque inductione renovandi sunt; & *novum hominem*. Novus homo enim qui jam olim in hominibus extitit, & per lapsum amissus est, miserima miseriæ vetustate contracta, est id, quod in nobis virtute divina restaurari, & renovari debet. Recte hinc B. D. Sebast. Schmid. de Imag. Dei p. 261. dicitur, inquit, *novus homo renovari, tum respectu sui, tum respectu suppositorum, in quibus renovatur. Respectu sui novus homo dicitur renovari, quando ejus novitas iterum creatur. Respectu suppositorum renovari dicitur, quia horum jam olim fuit novus homo, cum in primis parentibus omnes creati essent homines.* Priori tamen respectu *subjectum* renovationis esse *novum hominem* Apostolo, evidenter textus docet. De renovatione enim illius novi hominis sermo est, qui induendus est à renato, & proin diversus à supposito, quod renovari etiam à sua vetustate debet, & novum hominem induere. Valde emphatice idem ostendit etiam articulus ἰδὲ. Vult enim Paulus, ut induamus τὸν νέον, τὸν ἀνακαινόμενον, illum novum hominem, qui renovatur, h. e. qui talis est per renovationem, & subjectum proin istius renovationis, quæ fit in cognitionem, secundum imaginem eius, qui creavit illum, hodieq;
rursus

rursus creat. *Homini*s autem appellatio notat, quod renovatio hæc dicat restorationem qualitatum, & perfectionum justitiæ originalis, ad animam & corpus hominis renovandi, & tam ad illius (animæ sc.) facultates, quam ad hujus membra pertinentium. Non male D. Calov. ad Colos. l.c. *Ut vetus homo membris suis constabat, quæ corpus quoddam peccati constituebant: Ita & novus homo membra sua habet, novum animum, novum cor, novos affectus, novos motus, novam vitam.*

§. II. Deinde participium hoc *ἐναργισμῶν* infert renovationem subjecti renovandi, eamque passivam. Confundere hic Pontificios Doctores *justificationem & renovationem*, disput. de *novo homine* notavit; id quod contra scripturam ab iisdem asseritur, docente Apostolo, Rom. 3. & 4. justitiam fidei consistere in gratuita remissione peccatorum, per & propter Christum fide apprehensum. Justificatio enim præcedit, renovatio sequitur; de quo etiam *Form. Concord.* p. 685. sqq. Cæterum *passiva* ista *renovatio*, quam participium *ἐναργισμῶν* notat, cum sit à subjecto renovando facta exceptio Dei, renovantis nos, operationis, qua sui in melius immutationem experitur; in quo consistat, facile cognoscitur, si, quid sit renovatio *active*, seu *transitive* spectata, consideratur. Talis nimirum hæc, ut B. D. Carpzovius Hag. p. 1251. explicat, *actio divina* audit, qua naturam corruptam hominis à Spiritu s. per verbum & sacramenta instauratur, à tenebris intellectus, ab inobedientia & repugnantia voluntas & affectus, totusq; homo à peccati dominio liberatur, corporis denique membra arma justitiæ facit. Qua itaque actu divinam istam operationem in se renatus recipiendo, in intellectu fieri admittit liberationem à tenebris, in voluntate & affectibus liberationem ab inobedientia, fœditate & impuritate, eatenus homo in passiva sui renovatione constituitur, incipitque rursus status integritatis originalis primævæ.

§. III. Cum veto suppositum quod renovatur, & cui novi hominis induitio accidit, sit homo jam renatus, facultate proin supernaturali jam instructus, & cum Christo vivificatus, Eph. 2. 5. nova hinc vita jam præditus, in cujus novitate etiam ambulare debet, Rom. 6. 4. spiritu Dei actus, motus, adjutus,

Rom. 8. 14. ex viribus hisce dativis, & motibus divinis exoritur in eodem, motibus his cedente, nec contumaciter, & morose resistente, cooperatio, qua Sp. sancto adjuvanti cooperatur, & concurrat, non ad conversionem, sed ad sanctificationem, novæ item mutationis continuationem, & exercitium ejusdem. Cooperatio hæc *inductionis* vocabulo, quod actionem induentis notat, potissimum innuitur. Induimus enim novum hominem, in quantum illa induitio se habet ex parte nostri, seu renatorum, auxilio gratiæ renovatricis instructorum, quando Spiritui sancto, renovare nos volenti, ad sanctificationem cooperamur, & ad restitutionem status integritatis, primæque sanctitatis & justitiæ, in quantum in hac vita per continuationem novæ hujus mutationis, qua exuto veteri homine novus introducitur, istum justitiæ & sanctitatis originalis statum rursus attingere licet. Gal. 5. 16. 24. sq. 1. Thess. 4. 1. sq. Conf. *Dannh. Hodol.* p. 856. in Tab. *Car-pzov. Isag.* 1250. Eximie hinc B. *Chemnitius*, examinans Concil. Trid. sententiam ex interpretatione *Andradij*, in Exam. Conc. Trid. P. I. sess. VI. c. 2. f. m. 121. cum notasset renovationem nostri sic fieri, ut Sp. s. *incipiat pravitatem naturæ mortificare, & loco defectuum in mente & voluntate efficere novam divinus vim, efficaciam ac facultatem, unde sequantur motus & actiones spirituales, h. e. operetur velle, posse & facere, addit: Non infundit illas qualitates, sicut liquor in dolium infunditur: sed ut sequantur motus & actiones in mente & voluntate. Unde pergit plane præclare: Quando igitur Sp. s. per verbum cœpit naturam sanare accensa aliqua scintilla efficacia & facultatis spiritualis, licet renovatio non statim sit perfecta & absoluta, sed in magna infirmitate tamen inchoata, tunc tamen nec mens, nec voluntas est otiosa, sed aliquos novos habent motus, quos etiam debent exercere meditando, orando, conando, luctando &c.*

§. IV. Tertio verbum *ἀναγεννᾶσαι*, renovari, præter ea quæ diximus modo, tria infert, & connotat. Primo novum primigenium: secundo ejus corruptionem; & tertio corrupti restitutionem in priorem novitatis statum. Novum primigenium quod respiciat verbum hoc, manifestum est. Renovari enim infert quandam novitatis iterationem: Quod autem iteratur, id aliquando

quando jam fuisse necesse est. Novus homo itaque quando in homine, vel hominibus, per renovationem iterari debet, semel aliquando in eo, vel iisdem, fuisse illum necesse est. Consentit *Bellarmin.* t. IV. de grat. prim. hom. c. 3. qui, inquiens, *renovari jubetur, fuit aliquando novus; quod si renovatio consistit in eo, ut induamus hominem Christo similem, creatum secundum Deum, in justitia & sanctitate veritatis. Fuimus igitur aliquando, videlicet in primo nostro parente, homines novi, conditi secundum Deum, in justitia, & sanctitate veritatis.* Cogiturque etiam *Smalzius*, *Socinianus*, contra *Franz.* p. 54. confiteri, *instaurationi nullum esse locum, ubi destructio nulla fuit.* Fuit autem hoc, quod sic iteratur & restauratur, ceu historia creationis docet, in prima rerum origine homini concreatum. *Creavit enim Deus hominem in imagine sua; in imagine Dei creavit illum, masculum & feminam creavit eos, Gen. I. 27.* Primus hominis status, qui integritatis audit, & prima ejus novitas, verbis his describitur. An vero ad nos quoq; qui à Protoplastis descendimus, quos *ex unius hominis sanguine Deus fecit habitare super terra. Act. 17.* ista primorum hominum integritas pertinuerit, ita ut imago Dei primis parentibus concessa, non illorum donum personale fuerit, sed ad posteros propagari debuerit, sic ut in illis ad eandem imaginem conditi recte dici possimus, solide ex *Gen. 9. v. 6.* disquiratur, & quod ita probatur. Interdicti enim sui, *ne sanguis humanus effundatur*, rationem redditurus Deus, ait *כִּי בַצֶּלֶם אֱלֹהִים* *quia in imagine Dei fecit hominem;* & consequenter quia occisus, *in natura sc. institutione*, in imagine Dei factus fuit, dum nimirum primos parentes, ex quibus omnis homo nascendus erat, in ea fecit, cædes ejus vindicari debet. Etsi enim in occiso imago Dei non amplius extiterit, ratio tamen Dei contra homicidium adducta docet, fecisse optimum conditorem eundem in sua imagine, in prima rerum institutione, ita ut cum immortalitas ipsi naturalis esse debeat, & in primis etiam parentibus fuerit, citra Dei voluntatem ipsius sanguis à nemine effundendus sit. *Reatus* enim, ut eximiè loquitur *B. Hülseman.* in *B. Calovij Comment. in Genes. 9. p. 721. protoplastorum erga Deum, eumq; secuta privatio imaginis divina, res erat inter alios acta, neque aliis*

aliis hominibus, aut animantibus majorem licentiam faciebat occidendi hominem post lapsum, quam ante lapsum. Cont. etiam B. D. Sebast. Schmid. de Imag. Dei p. 159. sq.

§. V. Cæterum quod *novum* illud *primigenium* attinet, quod vetustate corruptum, hoc est, peccato extinctum, diximus §. præcedente ex Gen. I. 26. sq. vocari illud *imaginem Dei*, & inferre statum integritatis, & justitiæ originalis, pristinam illam conditionem, pristinumque illum perfectionis modum, in quo primus erat homo, & nos in illo à Deo conditi fueramus, ceu jam in disputatione de *novo homine* explicatum. בצלמנו *in imagine nostra* dixit Elohim, *betb* præfixo notante statum atque conditionem, in qua primus homo fuerat, ex quo è creatoris sui manibus prodierat: Quod præfixum etiam v. 27. Gen. I. repetitur, cum dicitur: *Creavit Deus hominem בצלמו in imagine sua*; quod cum expolitione quadam repetitur à Mose, בצלם אלהים *in imagine Dei creavit eum*, ita ut Creator omnium rerum *hominem creando, in imagine sua eum constituerit*, explicante B. Seb. Schmidio de Imag. Dei p. 71. sic ut imago Dei non solum una eademque creationis actione cum ipso homine produceretur, sed & hic, cum crearetur, jam in imagine Dei, & sic in statu integritatis esse inceperit, imo fuerit, & proin צלם *imago* non notaret *causam exemplarem*, sed *terminum factionis*, ut distinguit Thomas I. q. 93. art. 5. ad 4. & ex illo Tanner. Theol. Scholast. tom. I. disp. VI. q. 5. d. I. n. 8. add. Gregor. de Valent. Com. Theol. in Thom. t. I. f. 1442. Quanquam vero in nostro loco dicatur, quod renovatio fiat, & fieri debeat *εἰς ὁμοιωσιν καὶ εἰκόνα τοῦ κτίσαντος αὐτὸν, ἑσὸν ἑαυτοῦ*, non necessario tamen præpositio *κατὰ* urget, ut *εἰκὼν* notet causam exemplarem. Violentiores equidem hic sunt interpretationes Erasmi, & Beza, quam ut admitti possint, quando ille *κατὰ* per *εἰς* reddidit; hic vero *τὸ καὶ εἰκόνα τοῦ κτίσαντος αὐτὸν*, notare affirmavit *congruere imagini ejus, qui ipsum condidit*. Certum enim nobis esse videtur, formulam Apostoli desumptam esse ex Gen. I. 26. & 27. ita ut respexerit ad verba Elohim, dicentis בצלמנו *in imagine nostra*; & ad verba Mosis, dicentis Deum hominem creasse בצלמו *in imagine sua*, & בצלם אלהים *in imagine Dei*. Unde cum κατὰ etiam significet *in*, & Glassio obser-

yante

vante Philol. S. l. 3. tract. 6. p. 793. de *re quacunque sic accipiatur*, Matth. 1. 20. καὶ ὄναρ, *in somno*; Ebr. 11. 13. κατὰ πίστιν, *in fide*; nil impedit, quo minus dicamus, καὶ εἰκόνα κτίσασθαι Θεῦ sc. idem esse quod Moses dixit בצלם אלהים, *in imagine Dei*, ita ut κατὰ item significet, quod ב *beth* præfixum, sensusque hic sit: *Induentes novum (hominem) qui renovatur in cognitionem, in imagine ejus, qui condidit illum, existentes; sic ut ב, & Græcum κατὰ, expriment statum ejus, vel eorum qui renovantur; vel ut significetur, qualis ἐπιγνώσις intelligatur, ad quam renovari debemus, nempe ejus, qui olim in imagine Dei conditus fuit, & qualis est ejusdem. Talis etiam quod in illo esse debeat, qualis est ejus cognitio, & rerum divinarum sapientia, in quo refulget imago Dei. Nec negligendum censemus, quod LXX. reddentes Græce Gen. I. 26. בצלם אלהים & v. 27. בצלם אלהים, præfixum ב reddiderint per κατὰ. Sic enim v. 26. Καὶ εἶπεν ὁ Θεός· ποιήσωμεν ἄνθρωπον καὶ εἰκόνα ἡμετέραν &c. v. 27. autem sic loquuntur: Καὶ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον: καὶ εἰκόνα Θεοῦ ἐποίησεν αὐτὸν.*

§. VI. Relinquitur ergo, *in imagine Dei* concreata ab origine rerum homini, atque naturali isto quo perficiebatur dono, consistere novum illud primigenium, ad quod vocabulo ἀνακρινόμενον respicitur ab Apostolo. Complectitur vero illud statum primi hominis, antequam vetustate peccati corrumpereetur. Nil hic movebo de certamine, quod Ecclesiæ cum Pelagianis olim intercessit, qui memorante *Augustino* ad *QuodvultDeum* c. 88. statuerant, *Adamum, si non peccasset, corpore fuisse moriturum, neq; mortuum merito culpa, sed conditione natura.* Eadem Cœlestij doctrinæ impietas fuit, contendentis apud *Augustin.* de gest. Palæst. c. 11. quod *infantes in illo statu sint, in quo Adam fuit ante prævaricationem*, ita ut hodie jam novo homine induiti nascamur: Quod falsum esse noster locus evincit, qui vult, ut veteri homine exuto novum induamus. Conf. quæ contra hanc disciplinam disputarunt *Augustinus & Prosper*, apud *Gerhard. Joh. Voss. Theol. Histor. disp. 27. Antith. II. p. 409.* Satis constat, inter nos atq; Romano-Catholicos duas potissimum hodie disputationes moveri: Alteram de *conditione nature* primi hominis: alteram de *conditione justitie originalis* ejusdem. Priorem quod attinet, docet *Thomas*, quem communiter Pontificii sequuntur, I. q. 95. art. 1. Resp. *manifestum esse, quod sub-*

B

jectio

*jectio corporis ad animam, & inferiorum virium ad rationem non fuerit, in primo sc. homine, naturalis; quam nos ad naturalem hominis integritatem, & perfectionem pertinere contendimus, ex Gen. 1. v. ult. c. 2. 25. coll. cum c. 3. 6. 7. Eccles. 7. 30. Conf. B. Meisner. Anthropol. f. dec. I. disp. 2. q. 1. Cum enim homo per naturam suam sit agens non pure naturale, sed etiam morale, Decalogo conforme; genuina, & naturalis ejus integritas, & naturæ ejusdem rationali & sociali, & proin etiam morali huic re-ctitudini, quam rationalitas & socialitas per se, & immutabiliter in homine requirunt, respondens perfectio, non in puris istis naturalibus Scholasticorum, sed simul in qualitatibus Decalogo conformibus, poni debet; alias non plene & perfecte *novus* erit, sed *foeda* aliqua *vetustate* laborabit. Unde nec sic plena & genuina *renovatio* dari poterit, ceu quæ secundum *foedum* & *vetustate* corruptum exemplar fuerit instituenda. Ne dicam, per pura ista naturalia, hominem ex se æqualiter ferri ad vitam rationalitatis & socialitatis contrariam, atque eidem conformem. Qualem maculæ foeditatem, homini per essentiam moraliter agenti, pro-ut è manibus Dei prodiit, tribuere non licuerit.*

§. VII. Quid hic excipiatur, & excipi possit à *status pure nature* assertoribus, me non latet, sed minime movet. Definitur iste status à *Luisio Turriano*, de grat. disp. II. dub. 1. quod sit ille, *in quo crearetur homo non habens gratiam*, (& sic nec justitiam originalem; quod *Bellarminus* & *Gregorius de Valentia* concedent, vi suarum hypothesium;) *vel peccatum*. Addit autem *Turrianus* l. c. certum esse, *naturam humanam posse creari sine peccato cum perfectione naturali*. Docuerat ante hunc *Gregorius de Valent.* t. I. f. 1437. *possibilem esse hunc hominis statum*. Dico contra: Quicquid salva sua sanctitate & bonitate Deus nunquam potest, id absolute non potest: At in Scholasticorum veterum & recentiorum puris naturalibus hominem condere est id, quod sic Deus facere nescit. E. absolute hujusmodi status quoad actum existentiae impossibilis est. Patet id, quod subsumitur, manifeste. Homo in statu istorum pure naturalium, vi istorum, ceu agens rationale & sociale, etiam necessario est agens morale, ut dictum, ceu agens essentialiter liberum & voluntarium. Hoc non negabunt illi, qui definituri *formale esse*

esse

esse moralis, cum *Scoto, Durando, Suarezio*, idem esse morale & liberum contendunt, affirmante *Tannero* Theol. Schol. t. 2. disp. 2. q. 1. d. 2. n. 36. libertatem esse id, quo solo posito, reliquis etiam omnibus per mentis operationem precisis, actus est moralis, & quo sublato talis esse desinit. Et si vero disciplinam hanc non probemus, cum id liberum ad esse physicum actus voluntatis referamus, ceu in nostra *Disquis. de Orig. verit. & Jur. Nat.* p. 237. disputamus, qui libertatem pro ratione potius habemus, propter quam agens tale etiam sit in genere morum. Dato vero hoc, quod homo in statu purorum naturalium, vi horum, & rationis proæreticæ, sit agens morale, sequitur, si concupiscentia carnis isti tum fuerit, idque sine dubio, ut loquitur *Erbermannus*, Bellarminianæ doctrinæ vindex recentior, tom. IV. l. 1. c. 3. p. 11. naturalis, & quidem ut defectus, & quasi morbus quispiam naturæ, ex conditione naturæ consequens, quod Deus creaturam rationalem, & per naturam suam moraliter agentem, quæ ex lex vivere non potuit, nec debuit, condiderit, prout sc. immediate ex manibus & factura ejus prodiit, ceu naturaliter, & ex se actu primo pronam ad peccata, ad omnis generis ἀνομίας, 1. Joh. 3. 4. & proin non amore, sed odio dignam; quod sane sanctitati & infinitæ bonitati divinæ erga genus humanum repugnat. Divinam enim omnipotentiam, & sapientiam, non nisi conformem divinæ sanctitati & benignitati concipere debemus: ceu alibi contra *Socinianos*, & *Calvinianos* disputatur. Expresse enim scribit l. c. *Erbermannus*: Rectissime dicitur, concupiscentiam carnis, quæ homini condito in puris naturalibus fuisset sine dubio naturalis, non esse ex Deo, odio non amore dignam, malam, naturæq; contrariam. Tali sane ratione creare hominem, non est creare eundem sine peccato, ut vult *Luis. Turrian.* l. c. ceu ad quod ita conditus per se pronus est. לֹא תַאֲוֶהָ לְךָ, non facies te concupiscere, habet lex Dei æterna, Deut. 5. 18. Nil sit in te, & consequenter nec concupiscentia, quæ te concupiscere actu faciat, à qua actualis concupiscentia proveniat, qualis est omnino illa, quam dissentientes ad sua pura naturalia pertinere fingunt.

§. IIX. Instat *Erbermannus* l. c. p. 12. Sicut absurdum esset existimare, vitam & sensus, & intellectum non esse naturales perfectiones nobis à Deo concreatas, eo quod possint deficere; ita

proportionaliter hic de potentia concupiscibili, cujus rebelles motus non magis Deo debent tribui, quam ipsi actus formaliter liberi & peccaminosi, cum neque illos intendat, (cum potius velit eos reprimi,) neque ad illos concurrat aliter, quam ad entitatem actus peccaminosi: ad quos se habet tantum permissive, & concursum generalem exhibendo ex officio causæ primæ: Verum in cassum. Motus quippe concupiscentiæ rebelles, à potentia concupiscibili qua talis est, non qua corrupta est, proveniunt, & in statu purorum naturalium apti sunt, qui ex naturæ principiis, etiam qua Deus ejus autor est, per se fluant, secundum disciplinam adversariorum, cum totius naturæ, & ipsius etiam materiæ, eum autorem esse concedant. Sic enim Bellarminus t. IV. opp. de stat. prim. hom. c. 5. non magis differre ait statum hominis post lapsum, à statu ejusdem in puris naturalibus, quam differat spoliatus à nudo; neque deteriores esse humanam naturam, si culpam originalem detrahas, neque magis ignorantia & infirmitate laborare, quam esset, & laboraret in puris naturalibus condita. In §. seq. addit, hominem in puris naturalibus conditum, habiturum fuisse rebellionem illam carnis ad spiritum, quam nunc post amissum justitiæ originalis donum omnes experimur. Naturalis ergo concupiscentiæ, sub directione rationis, & legis divinæ æternæ constitutæ, etiam qua ad pura naturalia pertinet, cum rebellio fuerit in isto statu, qui ceu humanus, ex lex nullo modo esse potuit, manifestum est, defectum istum non mere physicum, sed potius esse moralem, in omni creatura rationali, & agente morali, prohibitum lege divina לֹא תַאֲוִה. Vita autem, sensus, & intellectus, sibi relictæ cum deficiunt, per se & primo naturales, non morales inferunt defectus. Alia etiam est ratio rebellionis concupiscentiæ, alia actuum liberorum. Illa in statu purorum naturalium est necessaria immediate ex conditione materiæ, Bellarm. de stat. P. H. c. 5. Hi proxime oriuntur à libera agentis voluntate.

§. IX. Relinquitur ergo I. novum istud primigenium in primo homine nihil naturale ejusmodi posuisse, quod conjunctum foret etiam cum habituali tantum rebellionem, seu habitu rebellandi, etsi in actum nunquam exivisset, nec exire potuisset. II. Dixit licet Bellarminus l. c. c. 2. Homo non fuit creatus, qualis nunc nascitur, pronus ad malum, infirmus, ignorans, sed rectus, justus,

justus, sapiens, sine concupiscentia & difficultate, quam ipsi in nobis assidue experimur: Propositio tamen hæc revera non dicit, quod præ se ferre videtur, *Calvino-Luthericos licet cum suis contra Pelagianos hæctenus stare jactet Erbermann. vind. Bell. t. IV. l. 1. c. 1. p. 3.* *Rectitudo* enim hæc adversariorum mente habitualement rebellandi pronitatem concupiscentiæ naturaliter, & ex conditione materiæ ex se competentem, hominemque huc illuc rapientem, non aufert, sed in recto *Bellarmini* homine relinquit, inferens tantum coërcitionem partis inferioris, per justitiam originalem velut *aureum frænum* factam, ne in actum secundum erumpat, uti fit post lapsum, & fieret, si status purorum naturalium daretur, explicante eodem l. c. c. 5. & relinquens interim hominem in sua habituali, & radicali libidine, refrænata licet & coërcita dono aliquo extrinseco. Unde licet actu secundo, atque potentia concupiscendi proximâ, *sine concupiscentia & difficultate*, ob istud frænum, Cardinali primus homo *rectus* dicatur fuisse *creatus*; ab initio tamen secundum eundem, & eos qui illius sententiam probant, & vindicant, non fuit idem sine vitiosa concupiscendi, & languendi aptitudine naturali, ex conditione materiæ proveniente, recta illam improbante, & per legem Dei æternam, qua, ut dictum in nullo statu homo carere potest, prohibente Ratione. Vitiosa enim rebellandi qualitas, & propensio, habitualis item rebellio, in illo mansisse statuitur, refrænata licet fuerit: Id quod in hominis novitate primigenia magnam imperfectionem reliquit. Add. B. *Meisner. Anthropol. Dec. I. disp. 2. q. §. 27.* qui etiam ostendit §. 28. claudicare similitudinem de *fabro ferrario*, qua multum sibi placet *Bellarmini Vindex Erbermannus* in Bell. Vind. t. IV. l. 1. c. 3. p. 13. n. 3.

§. X. Disquiritur etiam, quod attinet conditionem ejusdem novitatis primigeniæ, ad quam respicit Apostolus, de *conditione justitiæ originalis*; an sc. justitia illa primæva, quæ novitatem primigeniam constituebat, ceu *naturalis* quædam *perfectio* adesse debita, in primo homine Adamo reluxerit, eisdem naturaliter inhæserit, & sic ei naturalis fuerit, ut pertinuerit ad naturæ bonitatem, extiteritque proin eadem aliquid, quod ceu *divina aëria, domestica dignitas*, uti appellatur ab *Euseb. Præp. Evang. l. 12. c. 13. f.* naturalem hominis primi bonitatem & integritatem absolveret, approbatione Dei confirmatam,

Gen. I. 31. Id quod omnino affirmandum est, ut alios respectus taceam, *Meisnero* in *Anthropol.* Dec. I. disp. 2. q. 2. §. 3. *Zeamann.* de imag. Dei c. 7. art. 3. *Calov.* t. IV. Loc. p. 608. 664. *Carpzov.* in *Ilag.* p. 159. explicatos, quorum intuitu naturalis integri hominis perfectio dici potest, & debet. Probatum hoc verbo ἀνακαινῆσαι, quod in loco nostro usurpatur, cum dicitur, *induentes novum* hominem, ἵν' ἀνακαινῆσθαι, *qui renovatur &c.* *Renovatio enim novi hominis* dicit reparationem rei, non cujuscunque, sed rei quæ prima rerum creatione homini concreta, proin naturalis fuerat. *Novus* hic homo cum justitiam originalem, & imaginem Dei, indeque ortum integritatis statum notat, sicut amissa novitas, in qua primus homo creatus erat, ei fuerat naturalis, ita quoque justitia originalis. Novitas quippe est rei sub initium ejusdem, quando nova est, naturalis, & quod renovatur, renovatur ad ea quæ primo fuerant naturalia. Quæ enim prima rerum institutione producta sunt, naturalia rebus fuerunt, pro statu in quo erant productæ à Deo. Nam quod ex ordinatione Dei, & prima naturæ institutione, ad rem aliquam pertinet, ejusque bonitatem etiam absolvit, id ei naturale est. Unde enim cognoscemus, quid naturale sit rei, nisi ex prima naturæ institutione? Conf. *B. Sebast. Schmid.* de *Imag. Dei* P. II. c. 6. p. 419. sqq. qui etiam ostendit post *Meisner.* l. c. quam male *Bellarminus*, imo inique, statum controversiæ hic formaverit; quod complures alii hodie etiam imitari solent, quo majori specie veri coram imperitis furorem suum in Lutheranos, cæu Hæreticos, evomere possint. Argumenta *Bellarmini*, asserentis justitiam originalem supernaturalem fuisse in l. de gr. pr. hom. c. 6. sæpius nostrates discussierunt, & post illos suo tempore etiam *B. D. Seb. Schmid.* l. c. p. 425. *Erbermannus* vero in *Bellarm.* Vind. t. IV. l. 1. c. 3. p. 15. exagitato more suo *Gerhardo* nostro, nil quod contra nostrates exciperet, habuit, quam, *ideo, quia in aliquo minus proprio sensu dici potest imago Dei naturalis, non sequi, revera donum supernaturale non esse.* Verum si sensu proprio peccatum originale hodie dici potest naturale, multo magis in statu integritatis justitia originalis potuit naturalis dici, ceu ad naturam hominis, quatenus initio à Deo instituta fuerat, pertinens, *ἐκείνη ἀΐτια* *Eusebio* hinc, ceu vidimus, dicta: ita ut *Erbermannus* hæc non considerans, præcisionibus

bis

bus potius philosophicis, perverse applicatis, plus justo indulgere dicendus sit, cum naturam, qualis à Deo ab initio instituta erat, non intuens, quod ad ejusdem bonitatem pertinuit, eidemque ex creatione per se, ut concreata proprietas aliqua inhæsit, *supernaturale* potius, quam *naturale* appellare maluit.

§. XI. Quamquam vero novum hoc primigenium, quod in primo homine ante lapsum pleno jubare refulserat, integri hominis summam sapientiæ, justitiæ & sanctitatis perfectionem, τὴν τῶ πρώτου ὀκκ κάλλος ὑπεραρίστητι, *primæva pulchritudinis excellentem sanctitatem*, ut loquitur *Gregor. Nyssen.* t. 3. Opp. f. 445. omniumque animæ virium & facultatum rectitudinem, & integritatem complectatur, & complexum fuerat; ipsum tamen *corpus* etiam primi hominis in statu institutionis à participatione justitiæ originalis non erat excludendum, ceu quæ per illud, & in eo se exeruerat, diffundentibus se cum rectitudine sua viribus istis in corpus, & in eo se exerentibus, eandemq; cum corpore, pro recipiendi aptitudine, communicantibus, sic ut membra ejusdem organa etiam esse debuerint justitiæ. Proinde imago Dei in hominis corpore non arguitive tantum, & per *modum vestigiij*, ut *Thomas loquitur* P. I. q. 93. art. 6. Resp. fuit, sed vere & participative, dum animæ sapientis, sanctæ, justæ, mediante entelechiali cum eadem & perichoristica unione, fiebat particeps, efficiebaturque ejusdem instrumentum, per quod ejusmodi anima actus suos sanctos & justos ederet, ita ut *justitia, sapientia, sanctitas* in hominis primi corpore fuerint *respectu actionum, quas anima in corpore habet, & per corpus*, quæ prolixius præclare explicantur à *B. D. Seb. Schmid.* nostro, de Imag. Dei p. 356. sqq. Debemus autem præcipiente in loco nostro *Paulo, novum hominem induere.* Novitatem ergo non animæ tantum, sed & corporis præcipit, *ut sistamus membra nostra instrumenta justitiæ Dei*, Rom. 6. 13. Quæ uti respondere debet novitati primigeniæ, ita hanc non ad animam tantum, sed & ad corpus primi hominis pertinuisse certum est. Sane sicut peccatum originis non animam tantum, sed & corpus hominis infecit, Rom. 6. 12. sq. 19. c. 7. 17. 23. ita ut membra corporis reddiderit instrumenta peccati & injustitiæ; ita justitia originalis sic in corpore hominis ante lapsum dominabatur, ut membra ejus sibi subjiceret, eadem informaret, per ista se operando exereret,

ereret,

ereret, & instrumenta justitiæ faceret. Rom. 6.19. Sunt enim justitia originalis, & peccatum originis, duo contraria ab eodem subjecto se mutuo profligantia, apta eidem successive inexistenti. Hoc tamen quando asserimus, non id volumus, quod justitia originalis, quatenus habitavit mediante anima in corpore, uti postmodum peccatum originis illud inhabitare cœpit, Rom. 7.17. *sq. aurei fræni instar partem inferiorem superiori subjektam continuerit*, ceu *Bellarmin.* de gr. pr. hom. c. 5. & ejus vindex *Erbermann.* t. IV. l.1.c.1. p. 4. disputant, quibus add. *Gregor. de Valent.* t. I. in Thom. f. 1436. §. donum vero. & *Becan.* in Theol. Schol. P. I. tr. V. c.3. q. 2. n. 5. p. m. 378. Ubi enim nihil erat refrænandum, ubi nullæ passiones erant comprimendæ in appetitu sensitivo, ibi nullo quoque fræno, nullo peculiari dono, quod motus istos comprimeret, opus erat.

§. XII. De gratia & justitia primi hominis acriter non solum inter se certant Romani Catholici Doctores, sed & cum Evangelicis. De certaminibus adversariorum, concernentibus gratiam gratum facientem, & justitiam originalem, legere licet post *Bellarmin.* de gr. pr. hom. c. 3. *Gregor. de Valent.* t. I. in Thom. f. 1435. *sq.* *Becan.* in Theol. Schol. P. I. tr. V. c. 3. q. 1. *Luisium Turrian.* de Grat. disp. 2. dub. 1. p. m. 6. ne de certamine *Bajano*, de quo idem *Turrianus* prolixè in *Opusc.* 15. l. c. agit, & *Jansenitico*, de quo in primis *Melch. Leydecker* in *Hist. Jansenism.* quid dicam. Verum quod controversiam priorem de gratia gratum faciente, & justitia originali, in primo homine attinet, quando inter utramque nonnulli realem differentiam intercedere contendunt, aliis negantibus; his potius subscribendum esse censemus, licet rationis differentiam, & diversos gratiæ & justitiæ effectus formales, prout hos distinctionem illam formalem facere *Gregorius de Valent.* l. c. contendit, qua disciplina illius domestica nituntur, non concedamus. Nam ut rectè hic disputat *B. D. Balt. Meisnerus* noster in *Anthropol.* Dec. I. disp. I. q. 2. 3. quod spectat gratiam gratum facientem; per quam ipsi intelligunt qualitatem aliquam inherentem, ob quam homo fuerit Deo acceptus; à justitia originali distincta non fuit. Ob nullam enim causam aliam homo placuit Deo, quam ob concreatam perfectionem & rectitudinem, quam absoluebat justitia originalis. Ita ut frustra à Scholasticis, & Scholasticorum discipulis, diversi gratiæ doni effectus ab effectibus justitiæ originalis fingantur. Sed de his satis.

DE

angeb. 6,
uw. 3

NOVI HOMINIS
RENOVATIONE

ex Col. 3. 10.

DEO feliciter annuente,

In inclyta Argentoratensium Universitate,

POSTERIORI VICE,

PRÆSIDE

DN. JOHANNES JOACHIMO
ZENTGRAVIO,

SS. Theol. D. & P. P. Capit. S. Thom. Canon.
& Ecclesiaste,

Patrono, Fautore & Præceptore venerando,

respondebit

M. JULIUS FRIDERICUS WILD,
Argentinensis.

d. Octobr. hor. 1. solit.

ARGENTORATI,

Literis JOHANNIS PASTORII. 1700.

ILLUSTRI COLLEGIO
DOMINORUM
DISPENSATORUM
STIPENDII OTTONIANI:

VIRIS

AUCTORITATIS GRAVITATE, GENERIS
NOBILITATE, MAGNIFICENTIA, PLURIMUM REVE-
RENDA DIGNITATE, JURIS PRUDENTIÆ ET EXPERIENTIÆ
CELEBRITATE, PRUDENTIA, MUNERUMQUE AMPLI-
TUDINE MAXIME CONSPICUIS:

*DNN. Mæcenatibus, atq; Patronis suis magnis,
omni pietatis, officiiq; cultu colendis, prosequendisq;*

Hancce Disputationem Theologicam in
sui, studiorumque commendationem

humillimè consecrat, & offert

Respondens.

DE RENOVATIONE
NOVI HOMINIS,

ex Col. 3, 10.

ALTERA PARS.

§. XIV.



Uo ea, quæ ad explicationem verbi *ἀναγεννῆσαι* per-
tinent, continuemus, notamus *ulterius*, quod verbū
hoc, & inde descendens participium *ἀναγιγνόμενον*,
quod in textu legitur, etiam, ceu supra §. 4. jam ob-
servavimus & monuimus, II. dicat *novi* hujus *primi-*
genij destructionem, & *corruptionem*. Nam ut aliquid renove-
tur, hoc est, prius denuo novum fiat, necesse est ut vetustate con-
tracta novum, uti primo erat, esse desierit. Quod enim in novitate
primigenia permanet, nec eandem amittit, recte & vere reno-
vari dici non potest. Perit autem novum primigenium, ho-
mini ab initio ad imaginem Dei condito concreatum, lapsu Pro-
toplastorum; destructaque est prima novitas, in sanctitate, ju-
stitia & sapientia perfecta posita, miserrima vetustate contracta,
primorum parentum peccato, quod naturæ humanæ, non per-
sonæ, Adami sc. præcise, peccatum fuerat. Probatum hoc ex
Col. 3. 9. & sic ex versu proxime verba nostra præcedente. Re-
tulit ibi Apostolus *mendacia*, cum aliis operibus tenebrarum v.
8. notatis, ad vetustatem carnis, & *veterem hominem*, quem
exui docet, *si deponimus iram, excandescentiam, malitiam,*
blasphemiam, turpiloquium, mendacia. Sicut itaque omissis
operibus tenebrarum vetustas deponitur, & vetus homo exui-
tur; ita eorundem prima commissione destructa novitate vetu-
stas contrahitur, & contracta fuit, vetusque homo induitur.
Veterascere hinc nos peccato etiam B. *Augustinus* in l. de Genes.
ad lit. c. 20. ad locum nostrum docet. *Sicut, inquit, post la-*
psum peccati homo in agnitione Dei renovatur secundum imaginem
ejus, qui creavit eum: ita in ipsa agnitione creatus est, ante-
quam delicto veterasceret. Id quod contra petulantiam *Socinia-*

C 2

NOVITAS

norum observamus, negantium imaginem Dei per peccatum primum esse deperditam, quam *hodie* adhuc *durare* garrunt; de quo *Socin.* Prælect. c. 3. & l. de stat. prim. hom. p. 7. & naturam humanam per lapsum Adæ primum corruptam, & depravatam esse, rursus *Socino* contendente in Prælect. c. 4. Conf. *Scherzer.* Colleg. AntiSocin. p. 236. & *Calov.* Socin. proflig. p. 241. sq. Confutantur autem per τὸ ἀνακαινόμενον, quod in nostro legitur loco, & quod explicamus. Quicquid enim renovatur, hoc aliquando prius amissum fuisse, destructum item & corruptum, necesse est. Renovatur autem homo ad imaginem Dei, cujus pars fuit ἐπιγνώσις, de qua in nostro loco. Amissam ergo illam esse necesse est. Præterea uti vetustas, quæ novitatis destructionem infert, peccato contrahitur, ceu diximus, sic Adami lapsum, ceu naturæ peccatum, quod alibi probatur, ipsam naturam humanam, vetustate illata, destructa primigenia novitate, depravasse recte contra *Socinianos* statuitur.

§. XV. Denique III. verbum ἀνακαινόμενον etiam connotat, ceu supra §. 4. itidem monitum est, *corrupti primigenij restitutionem* in priorem novitatis destructæ, & vetustate deperditæ, statum. Vult hinc in nostro loco Apostolus, *novum hominem*, cujus novitas in Protoplastis lapsu eorum deperdita est, in renatis renovari, h. e. restaurari, sic ut rursus sint in imagine Dei, & justitia originali constituti. Hæc vera est novitas, infertq; novum illum hominem, quem quotidiana & continuata renovatione induere debemus, ut sic pristina concreata in Protoplastis, sed amissa imago Dei restituatur, atq; simus, quantum vitæ hujus imperfectio permittit, in statu integritatis inchoatæ. Non male hinc B. D. *Quenstedius* Syst. Theol. P. III. c. 1. f. 632. θ. 1. vox ἀνακαινόμενον, inquit, qua Paulus utitur Colos. 3. 10. vi prepositionis ἀπὸ regulariter notat instaurationem pristini, sive ejus, quod ante nuperam privationem inerat. Eximiè id confirmat locus parallelus Eph. 4. 24. quo induere jubemur *novum hominem*, τὸν κατὰ θεὸν κτισθέντα, qui secundum Deum, in prima sc. rerum creatione, creatus est. Quam explicationem uti usus temporis Aoristi admittit, sic eandem in nostro etiam loco insinuat participium Aoristi κτισθέντος, quasi dicat: *Induentes novum qui renovatur*
&c. juxta

&c. *juxta imaginem ejus, qui olim eum creavit.* Quemadmodum itaq; primigenia novitas, & novus homo primigenius, quem in creatione Adamus induerat, constabat ex qualitatibus, & sic ex accidentibus homini concessis, & concreatis, iisque internis, immediate animæ inhærentibus, eandem etiam, omnesque ejus vires & facultates spiritualiter perficientibus, quibus divinam sapientiam, sanctitatem, & justitiam referebat, ita ut convenientia & similitudo ejusdem cum Deo, in solis qualitatibus radicata fuerit, quibus *transfunderet creator in nos similitudinem sapientiæ & justitiæ suæ*, ut loquitur B. Calovius Instit. Theol. P. II. f. II. c. 2. §. 559. p. 263. Sic quæ per renovationem restauratur novitas, novas dicit qualitates, quas, bene explicante B. Seb. Schmidio de Imag. p. 260. *Deus in renovatione non ex homine educit, aut homo ipse sibi præstat, sed virtute sua creatrice omnino producit ex nihilo.* Monent hinc Theologi non absque ratione, renovationem non minoris virtutis opus esse, quam est creatio. Producit autem novas has qualitates in homine Deus mediante verbo, & Sacramentis, 1. Joh. 1. 3. 9. Tit. 3. 5.

§. XVI. Cæterum ut meditationi huic de verbo *ἀναγενῆσαι* adhuc aliquid addamus; observ. quod *restitutio* hæc, qua vetustate exuta novus homo, & pristinus status, quantum licet, restituitur, ulterius explicanda rursus *tria* insinuet: *Initium* sc. *renovationis*, *progressum*, & *terminum*; ita ut triplici quoque hoc respectu *novus homo* sit renovationis subjectum. Est equidem ordine naturæ renovatio posterior regeneratione, & justificatione, non vero momento temporis, de quo B. Carpzov. Isag. p. 1299. *Dannhavv.* Hodol. p. 924. Dissensus quidem aliquis de ordine horum divinatorum beneficiorum, inter hos Theologos esse videtur, sed diversa vocabuli regenerationis acceptio, & hinc facienda vocis hujus explicatio, illum tollit; qui proinde de voce tantum, non de re existit. Tempore itaq; simul cum sint hi effectus gratiæ, sic ut virtute verbi & Sacramentorum homini in peccatis mortuo simul conferantur vires supernaturales justificè, & salvificè credendi, sancteque vivendi, Tit. 3. 5. sua cuique tribuentes, quatenus hæ vires ordinantur, & ordinatæ sunt ad corrigendum intellectum, ut pulsus errorum tenebris illuminatus ad τὴν ἐπιγνώσιν

amissam reducatur, & rectificandos appetitus, ad juste & sancte vivendum, Eph. 4. 23. 24. eatenus ad initium renovationis illarum collationem referimus. *Scintilla* hæ sunt illæ *efficacia* & *facultatis spiritualis*, à quibus incipit renovatio, de quibus supra B. Chemnit. ex Concil. Trid. Exam. P. I. t. 121. audivimus. Fit enim initium renovationis, postquam homini vetustate carnis corrupto novæ vires collatæ sunt, quibus carnis concupiscentiis resistere, & sancte vivere incipit. Universa enim virum vetustate peccati corruptarum correctio, rectificatio & restitutio, fit per renovationem, & ad renovationem pertinet. *Scintilla* hæ primæ, quas sic Chemnitius appellavit, atque igniculi, semina sunt sapientiæ, justitiæ & sanctitatis, in quas futurum est ut spiritus sancti gratia renovatrice, cujus primi sunt effectus, efflorescant, plenoque jubare rursus resplendere incipiant, si quotidiana renovatione illa adollescere permittimus, nec malis moribus, & carnis prævalentis operibus à nobis restinguuntur. Et hæ sunt *novi hominis* initia, renovationis initiis respondentia, restitutionis amissæ primæ, & primo homini concreatæ imaginis initia.

§. XVII. Cæterum non momentanea est *renovatio* hæc, sed *successiva*, & *activa*, B. Dannhavv. Hodol. p. 924. Docet hoc participium *ἀναγιγνώσκων*. Dum enim in præsentis loquitur Apostolus, nil aliud, explicante D. Seb. Schmidio de Imag. p. 26. docet, quam *quod renovatio non sit momentanea seu simultanea, sed successiva, per totam vitam fidelium continuanda cum augmento suo: ita ut in fidelium regeneratione incipiat quidem eorum renovatio, non absolvatur tamen, nisi ubi ipsa hæc vita absoluta, & ad vitam in cælis beatam perfectamque perventum fuerit.* Cum illis agit D. Paulus, qui jam renati erant, & in quibus renovatio jam inceperat. Cum itaque tempore præsentis utitur, significat, renovationem adhuc continuari, & nondum absolutam esse, vel perfectam. Unde ad nostrum l. in Bibl. illustr. B. D. Calovius f. 840. *renovatione*, inquit, *opus est per Spiritum s. quæ in baptismo inchoatur, Tit. 3. 5. sed continuatione opus est, ut de die in diem renovemur.* Add. B. Hunn. Comm. super h. l. Qui itaque in regeneratione rursus esse incepit, conceptusque fuit novus homo,

homo,

homo, infundente Deo gratia & virtute sua renovatrice novas in conversum, regeneratum, & justificatum qualitates, is ex initiis his, quasi principio feminali, ἡμέρα καὶ ἡμέρα, 2. Cor. 4. 16. novus fit homo, sicuti hominis in utero formatio naturalis non simul, sed successive fit; sic explicante Hieronymo advers. error. Johan. Hieros. t. 3. Opp. f. m. 77. D. *In generatione hominum recipit terra, id est vulva, quod suum est, & receptum confovet, confotum corporat; corporatum in membra distinguit.* Exoritur autem novus homo ex istis novis qualitatibus spiritualibus, per quotidianum novarum istarum virium augmentum, à Spiritu s. precibus impetratum, verboq; & Sacramentis concessum, juxta Matth. 13. 13. sic ut sapientia, justitia, & sanctitas primo homini concreata, lapsu vero amissa, per renovationem indies in nobis crescat, justitia originali, & sanctitate inhærente magis magisque instaurata. Sic enim *renovatur novus homo*, atque prima lapsu Protoplastorum amissa novitas restituitur. Eximie B. D. Rungius in Com. in Ep. ad Rom. disp. 8. θ. 15. *donum renovationis à Sp. s. collatum esse dicit, qua in locum ἀδυναμίας spiritualis, nova vires agnoscendi & invocandi Deum divinitus in nobis accenduntur, & expulsis vitiis spiritualibus, nova luce, intelligentia & bonis moribus illustratur & sanctificatur.* In vera quippe renovatione non solum vetustas tolli & aboleri debet, sed & in locum vetustatis abolitæ, vera novitas, quæ prius fuerat, introduci vult. Ita quo *novus* homo recte *renovatus* dici possit, non solum necesse est, ut ex intellectu pellantur errorum tenebræ; ex voluntate injustitia; ex affectibus impuritas; ex appetitu omnis rebellio & ad prava inclinatio: sed & in locum hujus vetustatis succedere debet in intellectu *ἐπίγνωσις*, ceu Apostolus monet; in voluntate justitia; in affectibus & appetitu puritas & sanctitas, Eph. 4. Unde Gregor. Nazianzen. Orat. εἰς τὴν καιν. κνειακ. f. m. 268. *ἐγκυμνίζεθε, αἰτ, καὶ τὸν παλαιὸν ἀνδρωπον ἀπορρίψαντες, ἐν κνυνὸς ἡ ζωῆς πολιδέθε, πᾶσι χαλινὸν ἐπιθέτετε ἐξ ὧν ὀδύνασθε. Πάντα τὰ μέλη παιδαγωγήσαντες· πᾶσιν τὴν πονηρὰν τῆ ξύλε βρῶσιν μιμήσαντες, ἢ ἐμέσαντες, καὶ διὰ τὸ μόνον μεμνημένοι τῶν παλαιῶν, εἰνα φύγωμεν, innoamini, & veterem hominem abjicite, ac in vita novitate versemini, omnibusq; ex quibus mors oritur frenum imponite,*

nite, omnia membra gubernate, omnem pravum ligni cibum odio habete, aut evomite, & propter hoc solum veterum reminiscamur, ut illa fugiamus. Quo magis hæ, quæ quondam ante lapsum concreatæ perfectiones erant, in renatis per gratiam spiritus sancti restaurantur, eo magis *novus homo*, homo internus, renovatur. Hoc si fit, rursus Θεοειδής, *Deiformis res* audire homo potest, uti appellatur à *Gregor. Nyssen.* t. 3. orat. Catech. f. 52. Ad hanc vero novi hominis renovationem continuandam, & ejus augmentum procurandum, quomodo viribus gratiæ, quibus instructus est, renatus cooperari debeat, in disput. de *novi hominis induitione* docebitur, Deo annuente. Ad dimus tantum hac vice verba *Form. Concord.* in Epit. art. 2. 582. sq. *Postquam Spiritus s. per verbum auditum, aut per usum Sacramentorum, hominis voluntatem sola sua divina virtute immutavit atque renovavit, tunc revera hominis nova illa voluntas instrumentum est, & organon Dei Spiritus sancti, ut ea non modo gratiam apprehendat, verum etiam in operibus sequentibus Spiritu sancto COOPERETUR.* Conf. supr. §. 3.

§. XIIIX. *Terminum* denique renovationis quod attinet, & *novum hominem* ratione termini consideratum, quod concernit, notatur ille, quando Apostolus dicit: ἐκ ἀγνωστῶν, *in cognitionem.* *Vetus homo*, qui est terminus renovationis à quo, notat statum corruptionis, & hominis corrupti, qui infert summam in spiritualibus ignorantiam, tenebras & errores intellectus, injustitiam, impuritatem voluntatis & affectuum, ad prava inclinantium, rebellionemque superiorum & inferiorum hominis facultatum. Rom. 7. Ab hujus exuitione post factam regenerationem, & justificationem, incipit renovatio. Hæc prout à parte Dei se tenet, cum sit motus quidam divinus, inter duos terminos, à quo, & ad quem; sicut ille etiam est ignorantia, ita hic, seu terminus ad quem, est ἀγνώστῶν, *agnitio*, per renovationem in renatum successive introducenda. Desinit proin renovatio etiam in ἀγνώσει, sive de renovationis *objecto personali*, quod est homo renatus & justificatus, sermo nobis sit; sive de renovationis *objecto reali*, quod est *novus homo*, qua in renatum introducendus, loquamur. Ibi ut in homine renato tenebræ & erro-

& errores mentis ex intellectu depellantur; hic, ut amissa rerum divinarum & spiritualium, illorumque quæ sunt τὰ τῶν πνευματικῶν 1. Cor. 2. 14. cognitio instauretur, ut rursus simus in statu sapientiæ primitus concreatæ, per lapsum autem amissæ, & renovationis gratia rursus, quoad certos licet gradus tantum, restituta. Debemus enim quamdiu vivimus πνευματικῶν, 1. Thes. 4. 2. Omnis etiam divinæ gratiæ motus efficax est ad producendum effectum aliquem, etsi non simul & semel ad ultimum effectum perveniat, Matth. 25. 15. 18. Manet itaque ἐπιγνωσις finis renovationis, insinuatus præpositione οἷς, sive de fine terminationis, sive de fine causalitatis, atque motionis, loqui velimus.

§. XIX. Caterum qualis, & quarum rerum hæc ἐπιγνωσις sit, si quaeritur, B. Ambros. in Comm. 1. intelligit agnitionem veritatis, qua olim latuit, modo autem manifestata est per novam legem credentibus. In sequentibus explicat eandem de agnitione filij Dei; quæ pars veritatis, & doctrinæ, per novam legem, h. e. novi Testamenti disciplinam manifestatur. Sequitur hunc Zanchius, Calvinianus superioris seculi Supralapsarius, in Comment. h. l. intelligens ἐπιγνωσιν Dei & Christi ex Evangelio per Spiritum sanctum. B. Hieronymus autem, cujus verba in diss. de nov. hom. §. 3. adducta sunt, videtur intelligere notitiam & cognitionem practicam illorum, quæ ad vitæ secundum Dei imaginem exercendam novitatem pertinent, & hoc nomine cognoscenda sunt. Ex Pontificiis interpretibus Cajetanus h. l. sicut alibi jam notavimus, explicat Apostolum de agnitione, quæ secundum imaginem Dei est, & quæ proinde cadit in eum, qui imagine Dei est præditus, in qua etiam eadem consistit. Obscurius vero sentit, dum loquitur de agnitione similitudinis infusæ per fidem, spem, charitatem, misericordiam, & reliquas virtutes infusas, h. e. divinæ imaginis; quicquid sit de Purpurati hypothese domestica interim. Sic enim videtur Claudius Guiliandus etiam Cardinalem, quem alias sæpe sequitur, & exprimit, exprimere in Collat. in Ep. Paul. h. l. p. 284. cum ad descriptionem novi hominis, quod sit is, qui renovatur ad cognitionem juxta imaginem &c. ita notavit: Videtur hic Paulus de imagine loqui quæ novi hominis tantum est. Imago Dei est sapientia, justitia, sanctitas,

D

ctitas,

Etitas, veritas. Hanc cum imprimit Deus nobis, sumus imago Dei. Concise quidem, sed clarius & expressius loquitur Gabriel. Vazquez. in Paraph. per ἐπίγνωσις, de qua Apostolo sermo, intelligens cognitionē eorum quæ revelatione nota sunt. Estius in Comment. vocat mysteria revelata; ex nostratibus D. Quensted. in Syst. P. 3. c. 11. th. 10. mysteria divina. Ex quadruplici autem modo, quem Suicerus, Reformatus Theologus, in Comment. sup. nostr. l. p. 188. nuper excogitavit ad docendum, quomodo homo novus renovetur ad cognitionem; tertio renovatur, inquit, novus homo ad cognitionem, quatenus ex imagine Dei sapientia & prudentia salutaris refulget, qua est in cognitione Dei, & Jesu Christi Domini nostri, gratia pacisque abundantiam comitem habens, 2. Petr. 1. 2. Eph. 1. 8. Ex nostris D. Hunn. in Comm. de vera Dei Creatoris agnitione Apostolum interpretatur: Calovio h. l. in Bibl. illustr. notante, per notitiam intelligi notitiam rerum divinarum in genere, qua per naturæ nostræ corruptionem destituimur. Consentit B. D. Meisner. in Anthropol. p. 1. disp. 1. q. 6. §. 7. per ἐπίγνωσις hanc intelligens scientiam cum qua Adam ad imaginem Dei factus creatus fuit. Eadem aliorum est sententia, cum quibus & nos statuimus.

§. XX. Eisi vero non omnes eodem penitus modo loquantur, in re ipsa tamen omnes non dissentiunt. B. Hieronymus equidem plus justo restringere hanc ἐπίγνωσις videri possit, cum per cognitionem intelligit cognitionem Dei: Sed nulla est necessitas quæ nos cogat, ut tam stricte accipiamus hanc cognitionem, ut essentiam & personas divinas, & divina attributa tantum respicit, exclusa divina voluntate; cujus cognitio quod ex mente B. viri quam maxime fuerit necessaria, inde satis patet, quod hanc, de qua loquitur, cognitionem retulerit ad praxin, ad assimilationem aliquam cum Deo. Quæ cognitio satis lata est. Theologia ultimo tota est practica, inquit B. Dannhavv. Hodol. p. 19. & actuosa, tamen si quadam incidant jucunde contemplabilia, semper tamen ex intentione Spiritus s. ad praxin referenda. Idem dicimus de Irenæi l. 5. contra Hæret. c. 12. explicatione, cum per ἐπίγνωσις intellexit agnitionem Dei. Deinde certum est, cognitionem rerum divinarum, & mysteriorum,

riorum, hodie in diversis variare à cognitione primo homini olim concreata. Noverit is mysterium Trinitatis; noverit Dei voluntatem; noverit ejus bonitatem, sapientiam, justitiam, & cætera ejus attributa. Noverit etiam, non in ænigmate ut nos, 1. Cor. 13. 12. *sed modo longe clariori lumine scientia.* Conf. B. Meisner. Anthrop. d. 1. d. 1. q. 6. §. 11. Oeconomia salutis nostræ in statu restitutionis ejusmodi mysteria complectitur, quæ, quod *consilium Dei de salute nostra* Luc. 7. concernant, necessario nobis cognoscenda, etsi in statu institutionis primum hominem latuerant. Cum enim ante peccatum alia ratio salutis consequendæ fuerit, quam post, in statu integritatis doctrina Evangelii non tradita fuisset, nec de *Prædestinatione & reprobatione, Filij Dei incarnatione*, ὁμολογούμεως μεγάλη τῆ ἐυσείας μυστηρίω, 1. Tim. 3. 16. *Messia officiis, satisfactione, & merito infiniti valoris, de Sacra Cæna*, & similibus admirandis quid inaudivissent Protoplasti, de quo prolixius B. D. Calovius in Isag. ad SS. Theol. l. 1. c. 3. §. 2. p. 41. sqq. 52. Disputat etiam B. D. Dorschaus noster in Pentad. diss. 6. §. 14. contra *Molinaum* in Anatom. Armin. c. 11. asserentem, *Adamum per lapsum etiam amisisse potentiam, & vires credendi in Christum*, contendens, quod ineptum sit dicere, *Adamum habuisse potestatem credendi Evangelio, ad ejus mysteria acceptanda determinatam, & sic quoq; posteritati communicabilem.* Et nonnullis interjectis, *Evangelium*, addit, *ante lapsum non erat Adamo credibile, sed excedebat potentiam quam tum habebat.*

§. XXI. Etsi vero secundum alios nil impediatur, quo minus hanc *χειροσοφίας*, & mysteriorum divinatorum, aliorumque, quorum causa est *βάθος πλέτυ καὶ σοφίας καὶ γνώσεως*, profunditas divitiarum & sapientia & cognitionis Dei, Rom. 11. 33. justitiæ etiam, ad *ἐπιγνώσιν*, de qua Apostolus loquitur, referamus: Idem enim non *Ambrosius* solum voluit, sed & quicumque interpretes de *mysteriis divinis, revelatis, & revelatione notis* verba fecerunt, ex *Reformatis Suicero*, qui *quadruplici modo hominem novum renovari ad cognitionem*, Apostolo id non intendente, fingit, etiam l. c. non dissentiente, cum explicat *cognitionem*, de qua in textu quæstio est, *de sapientia & prudentia salutari ex imagine Dei refulgente, qua est in cognitione*

Dei & Iesu Domini nostri, quæ gratia pacisque abundantiam comitem habet: Attamen quod objectum ἐπιγνωσιῶς non tam late sumendum sit, manifestum esse censemus. Non enim loquitur Apostolus de ἐπιγνωσιῶσι quacunque, etiam quocunque modo se habente, sed quæ est κατ' εἰκόνα, secundum imaginem, vel in imagine Dei; hoc est quæ datur in illis, qui sunt in imagine Dei conditi, & in quibus imago Dei refulget. Respicitur enim hac descriptione ad ἐπιγνωσιν, quæ, & qualis eâ etiam in primo homine fuit, quam lapsu perdidit, nec ad posteros propagavit; sed quæ in renatis per renovationem restauratur. Unde Gabriel Vazquez in Paraphr. verba κατ' εἰκόνα refert ad participium ἀνακαινόμενον hoc modo: ὁ ἀνακαινόμενος κατ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντος ὡς εἰς ἐπιγνωσιν, qui renovatur juxta imaginem ejus, qui creavit ipsum in cognitionem. Sic enim Vazquesiana habet πνεύματος; Induite novum, eum sc. qui ad cognoscendum quæ revelatione nota sunt renovatur secundum imaginem DEI, qui creavit illum. Ἐπιγνωσις itaq; illa, in qua olim imago Dei fuit, uti fuerat Dei, rerumq; divinarum, voluntatis item divinæ Decalogo postmodum revelatæ cognitio, involvens notitiam boni & mali theorico practicam; ita hæc quoq; primario intelligitur ab Apostolo, quando novum hominem ἀνακαινῶδες vult εἰς ἐπιγνωσιν κατ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντος ὡς, & proinde talem rursus fieri, qualis olim in Adamo fuerat; licet in hac vita inchoetur id tantum. Confirmatur hæc τῆς ἐπιγνωσιῶς significatio etiam per participium ἀνακαινόμενον. Cum enim sit cognitio quæ per renovationem restauratur, & restaurari debet, necesse est nos aliquando illam habuisse. Sed Christosophiam non habuimus; Ergo nec primario illa per ἐπιγνωσιν h. l. intelligitur. Addo tamen, quod, quanquam cognitio hæc, qua Adami olim erat, & pars imaginis divinæ illi concreatæ, rerumque spiritualium, destituta fuerit notitia multorum mysteriorum, quæ revelatione nunc innotescunt; ista tamen hodie, quando eadem rursus restauratur per renovationem, cognitionem rerum divinarum ad statum restitutionis pertinentium in renovato non excludat; quæ pro additamento potius necessario, quod renovatorum status sic exigit, haberi debet, ceu notitia, quam fides justifica exigit, quæ ab imagine Dei

Dei

Dei in homine differt. Explicat hinc B. *Ambrosius* ἐπίγνωσιν hanc etiam de agnitione Filij Dei, quod de ea bona opera descendunt, quæ ad imaginem Dei, prout in hac vita eam portamus, refert, Conf. etiam *Hieronimus*. *Επίγνωσις* interim, & notitia quæ ad justitiam originalem pertinet, terminatur ad praxin bonorum operum proxime; sed quæ fidei est, terminatur immediate ad fiducialem Christi apprehensionem. Illa destituimur per naturæ corruptionem; hac quia concernit ἀποκάλυψιν μυστικῶν χρόνις αἰωνίοις Θεσημένων, revelationem mysterij temporibus æternis taciti, hominibus non cognoscibilis, nisi à Deo patefactum fuerit. Rom. II. 33. c. 16. 25. Colos. I. 26. sq.

§. XXII. Credere liceat, ab hac ἐπίγνωσις etiam primi & secundi sæculi hæreticos, homines nequissimos & fœdissimos, quo turpitudinem disciplinæ & vitæ tegerent, se vocasse Gnosticos, quod se hanc ἐπίγνωσιν perfecte consecutos garrarent, & jactarent; etsi me non lateat, cum Paulus Timotheum suum I. Ep. 6. 20. devitare jussit ἀντιθέσεις τῷ ψευδοῦ μὲν γνώσεως, oppositiones falso nominata scientiæ, fuisse, qui ab hac sibi falso arrogata γνώσις, scientiæ, se Gnosticos primos Hæreticos appellasse crederent. Sic enim B. *Theophylactus* ad I. c. scripsit: οἶμαι ταῦτα λέγειν τὸ Ἀπόστολον περὶ τῶν τότε λεγομένων Γνωστικῶν, τῶν πάσης ἀκαθαρσίας πεπληρωμένων, διὸ καὶ βεβήλας ὠνόμασε κενοφανίας. Τῶν δὲ τῆς αἵρέσεως πρῶτος Νικόλαος, opinor hac Apostolum dicere de iis, qui tum nominabantur Gnostici, qui omni impuritate repleti erant, ideoque profanas nominavit vocum inanitates. Horum autem hæresi præfuit Nicolaus. Bene hoc videtur velle *Theophylactus*, quod non certa Hæreticorum colluvies præcise hoc nomine superbierit, sed quod farrago quædam plurium potius Hæreticorum scientiæ velo atque titulo, nequitias & fœditates suas, erroresque obtectum iverit; monente etiam *Theodoreto* t. 3. opp. ad I. Tim. 6. 20. quod οἱ ἐπὶ Σίμωνι Γνωστικῶς ἑαυτοὺς προσηγόρευσαν. ἀπὸ Θεσητικῶν φάσιν, ἢ Θεῖα γραφή, ταῦτα ὁ Θεὸς αὐτοῖς ἀπεκάλυψεν, qui à Simone orti sunt, Gnosticos seipso appellarunt, quasi scientia præditos. Quæ enim divina scriptura tacuit, ea Deum sibi ajunt revelasse; sunt autem plena omni impietate ac libidine. Similiter etiam *Epiphanius*. t. I. hæref. 20. f. 38. autor

est, quod Simon Magus fœdissima sua dogmata *μυστήρια ζωῆς, γνώσιός τε, τῆς τελείωτος, mysteria vita, perfectissimaq̄, cognitionis esse dixerit.* Hæres. 26. f. 91. idem refert, quam monstrosa Gnosticorum *γνώσις, cognitio* fuerit. De hoc vero merito quis dubitaverit, an *Nicolaus* Gnosticorum *ωρσιότης* fuerit, quem per sceleratorum calumniam apud pios etiam male audivisse existimamus. Legi hic merentur, quæ de Gnosticis erudite tradiderunt Dn. D. *Ittigius* de hæresiarch. sect. 2. c. 9. §. 1. p. 163. sqq. *Colbergius* de orig. & progress. hæres. c. 2. §. 1. sqq. *Spanhem.* introduct. ad H. E. p. 52. Id tantum addo in præsentī, cum Gnosticorum horum infimi non fuerint Valentiniani, quorum autor *Valentinus* singularem scientiam sibi arrogavit, *τεγλώδη καὶ βαδέια μυστήρια, prodigiosa, & profunda mysteria,* uti appellantur *Irenæo.* c. 1. fingens, quæ pro singulari *γνώσει* illius alleclæ habuerant, & ob quam etiam mirifice sibi placuerant, explicante *Tertullian.* contra *Valent.* sub init. æque monstrosus fuisse scriptorem istum *Anonymum Gallicanum, Auctorem des Eclaircis. sur l'histoire Ecclesiast. des deux premiers siecl.* etiam contra *B. Irenæum,* qui horum hominum scripta legit, & cum illis disputavit coram, ceu in Proœm. operis contra hæres. testatur, asserere sustinentem p. 11. quod ipsius doctrina fuisset *tres Catholique, & que le sens qu'il entendoit sous les enigmes, & les misteres de ses Eons, etoit tres elevé & orthodoxe;* qui & nonnullis interjectis non dubitavit, genio suo unice, & præconceptus opinioni indulgens, *entreprendre de prouver clairement, que les sentimens de Valentin sur la divinite étoient tres orthodoxes, instituta explicatione de ses hieroglifes, & de ses Eons.*

§. XXIII. Sciendum etiam, quod *ἐπιγνώσις* ista, ad quam fit renovatio; quæ est *novi hominis* per renovationem restaurati *ἐπιγνώσις;* non complectatur ejusmodi *contemplationem,* qualem *Quietista* fingunt, quæ sine vera *ὀπίγνωσει* est, ceu quam potius suppressit. Hi enim quo ad omnimodam, & excellentem vitæ perfectionem Christianos perducant, talem *viam internam* etiam commendant, *in qua non cognoscitur nec lumen, nec amor, nec resignatio, & non oportet Deum cognoscere, & hoc modo recte*

recte

recte procedi fingunt, uti habet Propos. VI. *Michaelis Molinosi*, quem *Decet. Inquisit. Rom. d. 18. August. 1687.* vocat *filium perditionis* Bull. Innoc. XI. damnata. In Propos. IX. hæc *Quies* in Deo ita depingitur: *Non debet anima reminisci, nec sui, nec Dei, nec cujuscunq; rei & in via interna omnis reflexio est nociva.* Hinc in Propos. XXI. dicitur, in *Oratione*, contemplativa sc. & passiva, qua anima penitus ab omni cognitione, & omni operatione positiva & limitata operatione imaginationis, & intellectus, sive judicando, sive cogitando, sive ratiocinando fiat, QUIESCERE fingitur; in *Quietistica*, inquam, hac oratione opus esse manere in *sede obscura*, & *universali*, cum quiete & oblivione cujuscunq; cogitationis particularis, ac distincta attributorum Dei ac Trinitatis &c. Additur in Propos. XXV. *etsi superveniat somnus & dormiatur, nihilominus fieri orationem & contemplationem actualem.* Hoc quid sibi velit, à *Francisco Caccia* in vit. Innoc. xi. c. 33. expressum est, quod ex Italico sermone in Gallicum traductum, prout in *Actis condemnat. Quietistar.* Parisiis editis etiam legitur, ita habet: *La contemplation, ou l'oraison de quietude, consiste a se mettre en la presence de Dieu par un acte de Foy obscure, pure & amoureuse; & ensuite sans passer plus avant, & sans écouter ni raisonnement, ni image, ni pensees aucunes, a demeurer ainsi oisif: pasce qu'il est contre la reverence qu'on doit a Dieu de reiterer le premier acte: lequel aussi est d'un si grand merite & valeur, qu'il contient en foy a la fois, & mesme avec encore un plus grand avantage, les actes de toutes les vertus, & dure tout le temps de la vie, pourveu qu'il ne soit point retracté par un acte contraire, d'où vient qu'il n'est pas necessaire de le reiterer.* Inter sequaces *Molinosi* celebre nomen est etiam mulieris cujusdam, quæ *Guyonia* vocatur, cujus in scriptis *Illustrissimi Dn. Meldensis Episcopi, Jacobi Benigni Bossueti*, contra *Quietistas*, & *Archiepiscopum Cameracensem* frequentissima fit mentio. Hæc in *Interpret. Cantic. ch. 6. 4. p. 143.* interprete eodem in *Quietism.* rediviv. sect. VI. c. 1. p. 400. expresse docet, *animam refluentem ad Deum per contemplationem, ita in Deo esse perditam & immensam, ut nulla supersit ejus cognitio distincta, quantumvis tenuis:*

tenuis : Pridem enim excidisse cujuscunq; perfectionis-distinctionem in Deo; neque quidquam in anima superesse, præter visum fidei confusa & generalis, nulla omnino perfectionum aut attributorum notione distincta. Quam disciplinam in gratiam Guyonia Illustrissimus Cameracensis, in suis Maxim. des saints, colorandam suscepisse dicitur eidem Meldensium Episcopo l. c. Autor hinc l. cujus titulus: Traite historique, contenant le jugement d'un Protestant sur la Theologie mystique &c. La Theologie de Cambrai, inquit, est un Quietisme mitige, l. c. p. 12. De quo alibi.

§. XXIV. Nos vero existimamus, cum dogma de fide implicita multum faveat huic dogmati de non expressa cognitione Christi, & attributorum Deitatis, quatenus ea à Quietistis, eo quo vidimus modo, requiritur, non solum hoc nomine hanc Contemplationem Quietisticam, ceu ejus effectum à nobis improbari; sed & ne Contemplationis quidem nomine dignam esse, cum sit conjuncta cum fide obscura, fiatq; cum oblivione cujuscunque cogitationis particularis, distinctiorisque de Deo cognitionis, sine omni reflexione. Nam ἐπιγνωσις Apostolica etiam in ultima, si quæ daretur in hac vita, perfectione est reflexa, imo esse debet, ob necessaria Pietatis Christianæ exercitia externa, omnibus Christianis à Paulo præcepta, per totam vitam nunquam intermittenda. Cogitationes hæ sunt mentis speculationibus suis immodice indulgentis, & in βάδος aliquod sinè luce & duce scriptura se imergentis, & secundum suas phantasias, licet sine vere pio phantasmate, ex verbi divini illuminatione proveniente, se cum Deo unire volentis, revera autem se non unientis; pro statu perfectionis licet iste status Contemplationis vendiretur. Talis sane etiam in perfectissimo renovatorum hujus vitæ est ἐπιγνωσις, qua βλέπομεν δι' ἐσόπλευ ἐν ἀνίγνωσι, videmus, quod & meditationem & contemplationem nostram complectitur, per speculum tantum in anigmate, ut Paulus ait 1. Cor. 13. 12. Non ergo absq; omni operatione positiva & limitata imaginationis, intellectus, aut rationis, absq; omni etiam cognitione reflexa anima summum bonum suum, Deum, contemplatur. Probetur hujusmodi Contemplatio passiva ex scripturis. *Επιγνωσις* etiam est terminus renovationis nostræ, ad quem contendere

tendere

tendere debemus. In hac *ἐπιφώσει* sane, ad quam novus homo renovari debet, & in cujus agnitionis perfectione etiam olim primigenia ista primo homini concreata perfectio constitit, non datur ejusmodi obscura fides, & notitia implicita; quæ uti non ceciderat in statum integritatis, ita nec in statum renovationis, qua is ad perfectionem genuinam, quam præ se ferunt *Quietista*, contendit. Imo hi homines ad majorem perfectionem *manuducere* laborant novum hominem, quam Paulus, urgentes, fingentesque statum, qui rectius coelitibus, quam mortalibus in hac vita tribuitur, monente *Episcopo Meldensi, Bossueto*, in *Instruct. sur les etats d'orais. l. 1. §. 20. sq. p. 25. sqq.* nec improbante *Autore scripti*, cujus tit. *Traité historique sur la Theol. Mystique. art. 7. p. 39.* Denique quis suppressa vera *ἐπιφώσει*, & sic ipsa etiam fide justificata, solam charitatem cum *divina essentia precise* nos unientem, ad perfectionem renovatorum sufficere admiserit? Sed non mirum est huc descendere Mysticos, non *Quietistas* tantum, sed etiam alios qui de fide parum magnifice statuunt. Ex quibus novissime *Anonymus* quidam *Abbas*, causæ *Archi-Episcopi Cameracensis* fautor, in l. qui inscribitur: *Le Christianisme Eclairci*, occasione *Quietismi* edito, art. 1. de *Fid. §. 12. p. 7.* *la foy*, inquit, *n'a aucun rapport nécessaire avec la mystique, c'est-à-dire avec cette prétendue irradiation divine sur l'entendement humain &c.* Amor Dei enim, etiam summus, sequitur, & sequi debet lumen fidei ex scripturis accensum, quæ constat cognitione Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, qui *κατοικεῖ διὰ τὴν πίστιν*, per fidem in cordibus nostris habitat, & nobiscum unitur mystice, *Eph. 3. 17.* Hac illuminatur charitas ne cæca sit, quam fidei formam non recte quis appellaverit. Certe quo magis ego hanc *Contemplationem* intueor, eo magis cum *Contemplatione Ideæ Platonice*, in qua *Plato* finem actionum collocatum ivit, convenientiam aliquam illam habere, & ex hac *Platonica* doctrinam desumptam esse, non abs re credi censeo.

§. XXV. Cæterum ut ad verba Apostoli ulterius explicanda rursus pergamus, quando facta mentione *ἐπιφώσεως*, quam *renovationis terminum* esse notavit particula *eis*, quæ hoc loco causam finalem notat, frustra *Beza* *eis* pro *ἐν* poni urgente, quando, inquam, additur *κατ' εἰκόνα τοῦ κλίσαυθ' αὐτῶν*

E

secus-

secundum imaginem ejus qui condidit illum; quæri potest, an verba hæc proxime pertineant ad participium ἀνακαινόμενον, hoc modo, quasi sic scripsisset Paulus: Τὸν ἀνακαινόμενον κατ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντος αὐτὸν εἰς ἐπίγνωσιν, qui renouatur juxta imaginem ejus, qui creavit ipsum in cognitionem; an ad ἐπίγνωσιν, prout etiam posita sunt in textu? Prior explicatio, uti suis assertoribus non destituitur, ita nec improbabilis, nec analogiæ fidei contraria est, minus tamen simplex est quam posterior, ob trajectionem; nec simpliciter necessaria. Nam priorem istam cur posteriori, & fidei æque, & textui etiam præ ista magis analogæ, præferamus, nulla satis urgens allegari potest ratio. Dico itaque, verba sequentia, κατ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντος αὐτὸν, expositionem quandam continere verborum præcedentium, & docere velle Apostolum, quid sit ἀνακαινεῖσθαι εἰς ἐπίγνωσιν, renouari in cognitionem; quæ item & qualis sit cognitio, quæ terminus, finis etiam sit renovationis, de qua Paulo sermo: Nimirum non quamvis, nec qualemcunq; etiam hic intelligendam esse renovationem, & qua illa terminetur, vel quæ intendatur, cognitionem; sed quæ ad imaginem Dei in homine pertineat, imo pars ejusdem sit, ita ut ἀνακαινόμενος εἰς ἐπίγνωσιν, sit talis κατ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντος αὐτὸν, hoc est יְהוָה בְּצַל in imagine Dei rursus constitutus; in statu tali ut in illo eadem rursus refulgeat, certe refulgere debeat, cum pleno jubare in hac qua vivimus imperfectione resplendere in renovato non possit. Sic enim supra jam §. 5. verba κατ' εἰκόνα explicavimus, quod proin hac vice tantum repetere placuit. Hoc interim adhuc tantum additur, quod si *προπολογία*, non necessaria tamen h. l. nobis cordi foret, ἐπίγνωσιν, de qua Apostolo sermo, synecdochice acceptam, de tota imagine divina explicatum iremus, *cujus prototypum fuit ipse Deus, tanquam in cujus imagine, vel similitudine Adamus erat conditus.* D. Seb. Schmidt. de Imag. p. 261. 269. Unde ad imaginem Dei creatus homo dicitur Eph. 4. 24. creatus κατ' εἰκόνα τοῦ Θεοῦ.

§. XXVI. Cæterum quando κατ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντος αὐτὸν idem etiam est, quod κατ' εἰκόνα τοῦ Θεοῦ, ita ut imago Dei intelligatur, qua primævam novitatem & justitiam originalem constituerat, in summa ἐπιγνώσεως, sapientiæ, justitiæ & sanctitatis perfectio-

fectio-

fectione positam, quæ Adamo concreata fuerat, & in Christo autem fulgidissimo jubare refulserat; patet quod *Chrysoſtomi* & *Theophylacti*, qui verba hæc de *imagine Christi* interpretantur, simpliciter rejicienda non sit explicatio, ceu vera in sensu consecutivo; cum Adami, in statu integritatis adhuc constituti, justitia originalis etiam in Christo fuerit, absolutissime in hoc resplendescens.

§. XXVII. Cum itaque non negamus, ἐπίγνωσις hanc esse καὶ εἰκόνα τοῦ κτίσαντος, *juxta imaginem creatoris*, uti Ephes. 4. 24. δικαιοσύνη καὶ ὁσιότης τῆς ἀληθείας, *justitia & sanctitas veritatis* esse dicitur καὶ Θεὸν *secundum Deum*; etiam non imus inficias, quod formula hac connotetur *prototypum*, & exemplar, secundum quod hodie restauratur imago, quæ in primo homine fuit, & ad quam novus homo renovatur, quod est ipse Deus, in cujus imagine conditi sumus. Gen. 1. 26. sq. Describitur dein his verbis *renovationis causa efficiens prima*, & *actio*, quæ ejus *causalitatem* infert. *Causa efficiens* notatur voce τὸ κτίσαντος. Hac uti infinitæ virtutis agens significatur, ita *solum Deum* innuit, propria & naturali significatione. Licet vero, ceu actio ad extra, & opus divinæ gratiæ, omnibus tribus personis sit communis, Eph. 1. c. appropriative tamen competit Spiritui sancto. Rom. 1. 4. Gal. 5. 22. Tit. 3. 5. Etsi enim homo renatus per vires gratiæ ad sui renovationem quotidianam cooperetur, sine tuo tamen, Domine, numine nihil est homine; ad primam harum virium collationem homine nihil ex se conferente, & pure passive se habente, 2. Cor. 3. 5. Eodem participio indicatur etiam species *actionis*, qua ex parte Dei illa renovatio peragitur, κτίσις, *creatio* nimirum. *Proprie* vero, an *improprie* verbum creare accipi hoc loco debeat, disquirunt. *Iustinianus* equidem explicans verbum *creare*, quo Apostolus de renovatione hominis agens utitur, *condi*, & *creari* dicit esse *in alium quendam rerum ordinem redigi*, cum *pristini mores ponuntur*, & *novi induuntur*. Sed nulla datur necessitas proprietatem significationis deserendi, si vel maxime de *renovatione* etiam, quod *Iustinianus* contendit, verbum κτίσεν intelligitur. Ipsa enim renovatio incipit à creatione, licet non novæ substantiæ, novarum tamen qualitatum. Unde David *creare* interpretatur

tur per *innovare*, quando Psalm. 51. v. 12. ita loquitur: *Cor novum crea in me Deus, & spiritum certum innova in medio mei.* Regenitus etiam, & in statu renovationis constitutus homo, vocatur *κλίσις*, *creatura*. 2. Cor. 5. v. 17. Gal. 6. 15. Et quidem *κλισην κλίσις*, *nova creatura*, sc. ratione *novi status*, & *novarum qualitatum*, quas accepit.

§. XXIIX. Cæterum cum Aoristus participii *κλισηντος* ex se certum tempus non determinet, & definiat, disquirunt hinc, an de tempore præterito per *τὸ creavit*, an verò præsentis, per *τὸ creat* explicari debeat? Communiter interpretantur de tempore præterito verbi *creare*. Quanquam enim de præsentis facta interpretatio verbi *creare*, & participii *κλισηντος*, nec vim faciat significationi verbi, si explicatur de *renovatione*, quæ quia in dies continuanda, semper præsens etiam est, nec contra fidei analogiam sit, res denique ipsa, novi hominis quotidiana creatio, per novarum qualitatum in renovandos infusionem & productionem, negari non debeat: Malumus tamen de *tempore præterito* significationem participii hujus indefiniti accipere, ita ut dicamus, respicere Apostolum usu ejusdem ad id, quod olim in prima rerum creatione factum erat, hoc sensu: *Induentes novum eum, qui hodie renovatur in agnitionem, quæ est secundum imaginem ejus, Dei sc. qui olim eundem etiam condidit, seu creavit.* Nimirum novus homo dupliciter considerari potest, vel ratione primæ creationis, olim in Adamo factæ, vel ratione secundæ, sive renovationis. Quare cum de novo homine Paulus loquatur, & qua est *ἀνακαινόμενος*, & qua est *κλισηντος*; simplicissima est explicatio, quando dicitur, ad primam ejus creationem in Adamo factam, respici participio *κλισηντος*, ad renovationem vero ejusdem, sive ad eundem qua renovatum, & ratione secundæ creationis, participio *ἀνακαινόμενος*. Genuinum nimirum exemplar novi hominis, qui per renovationem hodie restituitur, juxta quod illa fieri debet, ob oculos vult ponere, ut recte sciamus contendere ad id, unde excidimus in Adamo, ad quod in eodem creati primitus fuimus. Nimirum, ut eximiè B. D. Seb. Schmid, de Imag. p. 259. loquitur, *postquam in vetera sumus & corrupti sumus, de hoc nobis gratulari debemus, si ad novitatem naturam nostram integram, & perfectam, redire possimus*; eandem sc. quæ olim in Adamo creata, & perdita fuit. Idem etiam vult relativum *αὐτὸν*, quando Apostolus dicit *τὸ κλισηντος αὐτὸν*, quod respicit *νέον ἄνθρωπον*, qua *κλισηντος* scilicet. Conf. B. Schmid, l. c.

p. 253. 259. 261. sq. B. Calov. Bib. Illustr. h. l. f. 840.

F I N I S,

angeb. 6,
uw. 4

De

INDUITIONE NOVI HOMINIS,

ex Col. 3. 10.

Deo feliciter annuente,

In inclyta Argentoratensium Academia,

PRIORI VICE,

PRÆSIDE

DN. JOHANNES JOACHIMUS
ZENTGRAVIO,

SS. Theol. D. P. P. Ordin. Collegij Theol.
h. t. Decano.

DOMINO Patrono, Fautore & Præceptore
venerando,

respondebit

JOH. GEORGIUS GIMMIGIUS,
Argentinenfis.

d. Decembr. hor. loc. solit.

ARGENTORATI,

Literis JOHANNIS PASTORII. 1700.

ILLUSTRIS
SCHENCKBECHERIANÆ
FUNDATIONIS

DNN. PRÆFECTIS,

VIRIS

Auctoritatis Gravitate, Generis Nobilitate, Magnificientia, Plurimum Reverenda Dignitate, Experientia, Prudentiaque Clarissimis & Excellentissimis

*Dominis Mæcenatibus, Patronis, & Evergetis suis,
debito pietatis & observantiæ cultu venerandis,*

Hæc primitias Theologicas ad declarandum suum gratum animum propter Beneficia accepta, inque sui suorumq; studiorum ulteriorem commendationem humillime dicat, offert, atque consecrat

TANTORUM NOMINUM

devotissimus cultor

Joh. Georg. Gimmig.
Argentoratensis.



DE
NOVI HOMINIS
INDUITIONE,

ex Col. III, 10.

PARS PRIOR.

§. I.



Uam fœda & probrosa post lapsum homi-
ni facta sit *nuditas*, quæ ante lapsum in-
culpata & honesta fuerat, cum alias, tum
inde etiam patet, quod hodie non sit abs-
que pudore, quæ in prima hominis cre-
atione omnis pudoris expers fuerat, Gen.
2. 25. Etsi enim pudor etiam ex imagina-
tione aliqua erronea exoriri possit, ita ut
Velthuyfio de princip. just. & decor. p. 59. notante, *non statim omne*
id peccatum sit, quod pudorem de facto incutit; uti videmus ob
paupertatem sæpe homines, vel ex opinione erroris, innoxij li-
cet, imo revera nullius, erubescere; aliter tamen de Pudore,
quem nuditas secum fert, & prout *Protoplasti* in primis eundem
senserunt, censendum, Gen. 3. 7. sqq. Testatur nimirum omnis
pudor de sensu alicujus imperfectionis, quam a nobis abesse vo-
lumus; seu vere illa sic se habeat, seu opinione erronea tantum
talis sit. Cumque ex nuditate exortus pudor hodie naturalis sit,
nil impedit, quo minus ejus causa genuina, & vera, hominem
latere, & non nisi ex Dei verbo cognosci possit, eximie hoc ex-
plicante *B. Luther. Com. in Gen. 3. 7.* & probante *D. Calovio*
in *Comment. h. l. p. 361.* Dantur equidem etiam ejusmodi Gen-
res barbaræ, quarum homines, etiam utriusque sexus, penitus
nudi incedere memorantur *Martyri ab Angleria, Rer. Ocean.*

1. p. 5. tanta nonnunquam pertinacia, ut, ceu de Brasilianis fœ-
minis autor est *Lerius*, in *Histor. Amer.* etiam *captivæ cohiberi*
non potuerint, quin animi gratia, noctu, indutiis reliquisq; panni-
culamentis depositis: ante somnum per insulam nudæ oberrarent;
ita ut ad vestes induendas etiam flagris adaptæ fuerint: Lauden-
tur de cætero Brasilienses ab *Otorio*, de *gest. Emanuel.* l. 2. p. 58.
ob residuum in hoc pudoris naturalis sensum, quod *nec filias pa-*
rentibus, nec sorores fratribus collocare permiserint; in adulte-
rio etiam deprehensas, vel occiderint, vel tanquam servas vendi-
derint: Quid in quibusdam partibus regni Abyssinorum circa
nuditatem moris fuerit, explicat *Franc. Alvarez.* *descript.*
Æthiop. c. 32. cui add. *Dapper* in *descript. Afr.* Verum licet hu-
jus generis mortales pudeat, si in furto, adulterio, vel alio sce-
lere, quod pudor naturalis sequitur, deprehenduntur; manet
tamen, non omnino etiam abnuente *Veltbuisio* de *Pudor. Na-*
tural. p. 23. quod *illis pudor ille singularis perierit, quo debeant*
erubescere de sua nuditate. Eadem delectatio etiam nuditatis suæ
spiritualis complures mortales decepit, qua gloria propriæ coram
Deo justitiæ, & imaginis divinæ destituimur, *Rom.* 3. 23. cujus
usque eo non pudet eosdem coram divinis oculis, ut turpitudi-
nem veteris hominis pudendam potius retinere, quam *novum*
hominem, secundum Apostoli præceptum, *induere* malint: Li-
cet hic defectus concreatæ quondam integritatis, usq; eo fœdos,
& in pudenda facie coram Deo nos sistat, ut moneamur illum
tegere, *ἵνα μὴ φανερωθῆ ἡ ἀισχύνη τῆς γυναικὸς*, *ne manifestetur*
pudor nuditatis nostræ, *Apoc.* 3. 18. Meditabimur proin hoc no-
mine nonnulla de *induitioe novi hominis*, qua etiam fœda ista
nuditas, in qua nascimur, tegi incipit in hac vita, occasione ver-
borum *Pauli Col.* 3. 10. Cum enim de *novo homine*; *novi* item
hominis renovatione, alio ex hoc loco actum sit tempore, in præ-
fenti, Deo bene volente, de *novi hominis induitioe*, agere fert
animus. Deus adsit!

§. II. Verba Apostoli ita habent: *Καὶ ἐνδυσάμενοι τὸν*
νέον, sc. *ἄνθρωπον*, *Ἐνδύμενοι* *novum*, sc. *hominem*. Respicere
enim adjectivum *νέον* substantivum *ἄνθρωπον*, in vers. antecedenti
positum, & hic repetendum, jam in *Disp. de Novo hom.* §. 7. nota-
vimus: In cujus disputationis § 6. etiam vim particula *καὶ*, quan-
do

do Apostolus dicit: καὶ ἐνδυσάμενοι, explicavimus. Superest itaque adhuc explicatio participij ἐνδυσάμενοι. Verbum ἐνδύειν, significat *induere*, prout vestes & arma induuntur, ad quorum etiam induitionem significandam adhiberi solet, non proprio tantum, sed etiam figurato loquendi genere. Sic enim Paul. Rom. 13, 12. ἐνδυσάμεθα, inquit, τὰ ὅπλα τοῦ φωτός, *induamus arma lucis*, ad spirituales pugnam contra Diabolum, mundum, & carnem nos excitans, nec τὴν αἰσθητικὴν πανοπλίαν, *sensibilem armaturam*, ut Chrysostom. h. l. loquitur, intelligens. Sine tropo Matthæus c. 27, 31. verbo hoc utitur, scribens: Καὶ ἐνέδυσαν αὐτὸν τὰ ἱμάτια αὐτῆς, & *induerunt* (milites Præsidis Pilati) *ipsi* (Christo) *vestes ipsius*. In sensu proprio enim verba accipienda esse, res ipsa docet. Rationem constructionis autem explicat regula Grammaticorum, quod verba *vestiendi*, seu *induendi*, & *exuendi*, duos accusativos admittant, alterum personæ, alterum rei: Vid. Possel. Syntax. Græc. p. 136. sq. Duplex itaque verbi ἐνδύω, ἐνδύομαι, *induo*, *induor* cum sit acceptio, *propria*, & *tropica*; in tropico sensu, eoque *metaphorico*, voce hac nostro loco uti Apostolum manifestum est. Cum enim vestimenta proprie indui dicantur, per metaphoram id de illis etiam dicitur, quæ cum vestimentum non sunt, alia quadam ratione acrite cum re conjunguntur, sicut eidem insint, eandemque perficiant & exornent. Hoc sensu promisit Luc. 24, 49. Christus discipulis, quod debuerint *indui virtute ex alto*. Et sicut vestis non solum nuditatem tegit, ne transpareat, sed etiam hominem exornat, ita novus homo non solum nuditatem lapsus, quæ totius justitiæ originalis, & pulcherrimorum donorum privationem, & jacturam dicit, rursus tegit, sed & cum amissorum ornamentorum naturalium restitutione conjungitur. Varias verbi *induere* significaciones etiam explicat Flacius in Clav. f. 454. laudatus à Dorsch. in Pentad. p. 179.

§. III. Cæterum cum apud Doctores *induitio* alia sit *imputationis*, alia *imitationis*, alia *infusionis*; latius accepta in præsentia à nobis hac loquendi formula, ut complectamur quamcunque gratiosam Spiritus S. operationem internam, per motus etiam internos, non per habitus infusionem præcise se exerentem,

tem, & ad illam reducamus; quam proinde non male quis *inductionem operationis interna* vocaverit; certum est, *inductionem*, de qua Apostolo in nostro loco sermo, non esse *inductionem* quæ fit per *imputationem*. Nil enim nobis imputatur, & imputative à nobis induitur, quam Christi justitia, & obedientia, tam activa, quam passiva, idque in negotio justificationis; estque *inductio* Christi justificatrix. Unde B. D. Dorsch. l. c. disp. IV. §. 48. *inductio*, inquit, *qua imputatur nobis meritum, & universa satisfactio Christi, est principalis & pretiosissima Christi inductio, qua baptismo primario competit; de qua non h. l. sed Gal. 3. 27. agitur.* Nam h. l. non justificandos, sed justificatos monet Apostolus, ut novum induant hominem, qui in justitiam nobis non imputatur. Nec etiam in circo justificationis, sed sanctificationis & renovationis versamur, quæ interna immutatione, & justitiæ originalis amissæ restitutione peragitur. Hinc Clementi Alexandrino Admonit. ad gent. f. m. 69. *καὶ τὸ ἀνδρῶν* dicitur *Θεῶν πνεύματι ἀγίῳ μεταπεπλασμένοι*, *Dei sancto spiritu transformatus*; non quidem substantiæ immutatione, sed novarum qualitatum & donorum divina in renovato productione. Tigurinus equidem Theologus *Suicerus*, in nupero Comment. super h. l. p. 184. de hujusmodi inductione, quæ per imputationem fit, participium *ἐνδυσάμενοι* explicat. *Simul, inquit, atque quis in Christum credit, atque ad ipsius meritum trepide confugit, novum hunc hominem induit, justitia & sanctitate, cen candida, sacerdotali & regia veste decoratus, Jes. 61. 3. 10. c. 62. 3. Apoc. 3. 18.* Idem ad locum parallelum Eph. 4. 2. commentus est Hieronymus Zanchius Comment. ad l. c. p. 395. *ceterum, inquit, cum Apostolus dicit, debere nos induere novum hominem, id non nisi de Christo, & de novæ vitæ qualitate intelligi potest, quia res qua induimur, differat à nobis qui induimur, necesse est.* Sed jam responsum est, quod non de justificatione, sed de renovatione noster agat locus, ad quam imaginis divinæ, qua justitiam originalem complectebatur, amissæ restauratio, per gratiam spiritus s. renovatricem facta, pertinet; quæ non fit per hujusmodi imputationem, & inductionem imputativam, sed per immutationem quandam internam, veram, & realem, qua

ex

ex non sanctis reddimur sancti, sanctitate inhærente tales, imperfecta licet hac in vita. Sic enim B. *Ambros.* Apol. David. c. 14. *Postulat* (David, sc.) *cor mundum creari sibi, quod ei provenit, qui renovatur spiritu. In novo enim homine cor mundum est, in quo veterum delictorum fuerit deleta colluvies, nec inscripta manserit aliqua iniquitatis effigies.*

§. IV. Quod vero attinet *induitionem*, quæ dicitur *imitationis*, de illa interpretamur *induitionem Christi*, de qua Paul. Rom. 13, 14. cum ait: *Ενδύσαθε τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν*, *induite Dominum Jesum Christum.* Recte enim Christus etiam indui dicitur per *imitationem*, & *expressionem vitæ ejusdem*, si, ut explicat ex nostris *Hunnius Comm. h. l. innocentiam Jesu Christi, ejusque meritum fide amplectimur, & ex fide hac ipsius innocentiam, ut vitæ quoque regulam, imitamur, sancte nimirum vivendo, quemadmodum & ipse sanctus est: Etsi Chrysostom. Homil. 22. in Ep. ad Rom. potius de induitione, qua Christus εἰς τὸν ἕσω ἡμῶν ἄνθρωπον κατοικεῖ, in interiore nostro homine habitat, Paulum videtur exponere. Quod tamen nec induitionem, quæ per imitationem Christi fit, excludat Præsul eloquentissimus, sequentia docent verba: Καὶ γὰρ οἰκίαν αὐτῷ βέλεται τὴν ψυχὴν τὴν ἡμετέραν, ὡς ἱμάτιον ἡμῖν αὐτὸν περικεῖσθαι, ἵνα πάντα αὐτὸς ἡμῖν ἢ ἕσωθεν, ἢ ἔξωθεν, vult Apostolus animam nostram illi (Christo) domum esse, illoque nos veluti vestimento circumdari, ut is omnia nobis sit, sive interna, seu EXTERNA; h. e. ut in externa vita etiam appareat, eundem in nobis esse affectum, qui etiam fuit in Jesu Christo, Phil. 2. 5. per imitationem sc. ejusdem: in quantum nimirum ὑπογραμμὸν exemplum nobis reliquit, subsequamur vestigia illius, 1. Pet. 2. 21. Conf. *Cornel. à Lapid. Com. in Ep. ad Rom. l. c. De induitione Christi, qua in renovatione fit, cum illius virtutes imitamur*, etiam hunc locum explicat *B. D. Weller. Com. h. l. p. 702. quo de renovatione, & sanctificatione agi, totus contextus docet. Consentit B. noster Lutherus in Post. Eccles. P. I. f. 4. Nec λαυτολογία aliqua hac explicatione metuenda, sed argumenti rationem potius, quod Christum induere debeamus habet, & quare arma lucis induere nos deceat; quod nimirum hoc facere, sit ipsum*
etiam*

etiam Christum in vita induere, & imitari, prout in Baptismo eum induimus fide, de quo § præced. *Bucerus* etiam in Commentar. ad Ephes. 4. explicans, quid sit *induere novum hominem*, allegat Rom. 13. 14. quasi *novum induere hominem*, sit *induere Christum*; uti *B.D. Wellerus* l.c. quando explicat *induitio- nem Christi*, de qua Rom. 13. agitur, etiam de tali induitione, quæ fit *per imitationem*, ceu modo dictum, confert Col. 3, 12. ubi novi hominis induitio, de qua v. 10. nostro nimirum loco, Apostolus etiam egerat, in quo consistat, distinctius describitur. Nec videtur ex Patribus dissentire *Theodoret.* in Com. h. l. t. 3. Opp. f. 358.

§. V. Verum licet de re ipsa loquendo, id negari non debeat, quod *novi hominis induitio* etiam fiat per imitationem virtutum Christi, & sit *induitio* quædam *imitatoria* earundem, cum justitia originalis, quæ ad novum hominem pertinet, in Christo absolutissime, & perfectissime reluxerit: Attamen cum in nostro loco per *novum hominem* non intelligatur ipse Christus, uti nec per *veterem hominem* Adamus debet intelligi, de quo *B. Sebast. Schmid.* de Imag. p. 250. 247. patet, quod hoc sensu, respectu Christi sc. induitio novi hominis etiam imitatoria h. l. dici non debeat: Nil licet impediatur, quo minus eadem alia ratione induitio imitationis appelletur. Nimirum cum novus homo notet primum istum, atque novum primi hominis statum; statum scilicet integritatis, & summæ sapientiæ, justitiæ & sanctitatis, quæ Adamo ab initio quidem concreata, per lapsum autem rursus amissa fuit, restaurari vero ac rursus à nobis recuperari debet; nil obstat, quo minus affirmemus, indui & recuperari, cæteris paribus, de quibus mox, hunc statum, cum imitamur virtutes Adami, in statu integritatis adhuc existentis, sapientiam, justitiam & sanctitatem, prout in Decalogo justitiæ originalis, in qua primus homo, vere novus, sine defectu conditus fuerat, exemplar nobis repræsentatur, & ad imitandum proponitur. Debemus enim induere *novum hominem κλιθέντα, creatum*, ab initio sc. creationis, & sic in Adamo, atque eidem concreatum, Eph. 4, 24. Deinde perspicue etiam, quod, & qua ratione hæc novi hominis induitio, de qua noster agit locus, sit *imitationis*, docet Apo-
Apo-

Apostolus, cum restorationem novi hominis, à nobis induendi, fieri debere ait καὶ εἰκόνα τῆς κλῆσεως τοῦ αὐτοῦ, juxta imaginem ejus qui creavit illum, ita ut δικαιοσύνη καὶ ὁσιότης τῆς ἀληθείας, justitia & sanctitas veritatis induenda sit κατὰ Θεόν, secundum Deum, Eph. 1. c. Nam ut in disp. de Renov. Nov. hom. § 27. etiam explicatum fuit, formula hac connotatur prototypum quoque & exemplar, secundum quod & hodie restauratur imago, & restaurari etiam debet, quæ in primo homine fuit, & ad quam novus homo renovatur, quod est ipse Deus, in cujus imagine conditi sumus, cujus etiam justitia & sanctitas in Decalogo nobis ad imitandum proponitur, ut *simus sancti, sicut ipse sanctus est*, Levit. 11. 44. c. 19. 2. 1. Pet. 1. 16. *Transformemur*, hinc inquit *Ambrosius* t. 1. de bon. mort, c. 5. *animam nostram ad illam imaginem Dei & similitudinem. Fuga malorum similitudo Dei est; & virtutibus imago Dei acquiritur.* Pertinent huc etiam ea, quæ de assimilatione hominis cum Deo *Justinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Gregorius Nazianzenus, Theodoretus*, & alij monuerunt; de qua etiam aliquid inaudiverunt *Philo, Plato, Pythagoras, Epictetus, Seneca*, & communiter; de quo prolixius egimus in *Disquis. de orig. verit. & immut. J. N. art. 9.* & in *Specim. Antiquit. Moral.* licet eam nec recte, nec satis intellexerint.

§. VI. *Induitio* denique *infusionis*, quam in præsentia sic vocamus, aliquanto *latiori* hujus vocis acceptione, illa dicitur, qua id, quo indui dicimur, à Deo in nos infunditur, vel in nobis etiam creatur & producitur, per Spiritum S., quem effundit in nos, Rom. 5, 5. Tit. 3, 6. Sic 1. Paral. 12. 8. *spiritus Amasajum induisse* dicitur; id quod de interno impulsu & afflatu Spirit. s. quo locutus fuit Amasajus, recte explicatur. Sic Job. 8. 22. cum *osores* Jobi pudore *induendi* dicuntur, significatur futurum, ut pudore intus exorto se suffusos, & pudore quasi *veste circumdatos* se sentiant, ut loquitur *B. D. Sebast. Schmid.* in Comment in l. c. Job. Similiter etiam quatenus *induitio* novi hominis se habet à parte Dei, qua est novarum qualitatatum in homine renovando creatio quædam, quas explicante laudato *B. Schmid.* de Imag. Dei p. 260. *Deus in renovatione non ex homine educit, aut homo ipse*

B

sibi

sibi prestat, sed Deus virtute sua creatrice ex nihilo producit, induitio quædam infusionis dici potest. Virtute verbi enim & Sacramentorū Deus confert vires, productas & ordinatas ad corrigendum intellectum, ut pulsas errorum tenebris ἐπιγνωσις, lapsū Protoplastorum in eo amissa, restauretur; ad appetitus tam rationalem, quam irrationalem, emendandos, coercendosque, ne ad prava inclinare pergant, quo inhærens etiam sanctitas in hac vita rursus inchoetur, & indies magis abundemus, 1. Thess. 4. 2. Retulimus harum primum collationem, & si ita loqui velimus induitionem, ad initium renovationis in diff. de Renovat. pr. hom. §. 16. sq. Solet etiam Deus, qui, quod incepit in nobis bonum opus, ἐπιτελέσει, absoluturus est, usque in Diem Jesu Christi, Phil. 1, 6. novis istis qualitatibus, ab initio renovationis concessis, ni obex ponatur, Matth. 23. 27. novarum virium augmentum quotidianum superaddere, Matth. 13. 12. quod, ceu alibi disputatur, à non rejectione gratiæ primæ suspenditur. Conf. B. Hülfem. Brev. c. 14, §. 6. c. 15. §. 11. B. D. Carpzov. in Isagog. p. 844. sic explicavit: *Facienti per acceptam prævenientem gratiam, quantum potest, Deus non denegare vult majores gradus gratiæ, sc. operantis, perficientis, cooperantis, & conservantis.*

§. VII. Applicando itaque hæc ad induitionem, loco nostro ab Apostolo insinuatam, quando dicit: Καὶ ἐνδύομενοι τὸν νέον, sc. ἀνθρώπων, & induentes novum hominem, notamus, quod illa pro induentis diversitate, etiam diversimode se habeat, & explicari possit. Nimirum cum induitio hæc, qua quotidiana renovatione novum hominem induimus, contendentes ad recuperandum statum integritatis amissum, & justitiam originalem, quantum in hac vitæ imbecillitate licet; cum, inquam, induitio hæc sit partim à Spir. s. speciali, eoque gratioso influxu, per verbum & sacramenta bonos motus, tam internos, quam externos, qualitates item novas, viresque agendi, producente, Tit. 3. 5. Gal. 5. 22. Rom. 8. 13, 14. partim ab ipso homine justificato renovando, qui, eximie rursus B. D. Hülfem. Brev. explicante c. 12. §. 3. *motus per gratiosum influxum superioris, ad suam renovationem concurrit, ita ut non solum indies renovetur à Deo*

à Deo

à Deo, sed seipsum quoque renovet per acceptas superne vires: Quatenus est à Deo, recte refertur ad induitionem per infusionem, & dicitur fieri per infusionem, non quidem gratiæ renovatricis per modum habitus permanentis operaturæ, sed certæ facultatis, fidei sc. actus moraliter bonos generaturæ, sic ut gratia renovatrix actualis, quæ est motus Spir. s. imo continuatio quædam motuū, successive intus agentium in hominis renovandi intellectu, voluntatem & affectus, idque inæquali etiam mensura, minime excludatur. Egregie de hac infusione B. noster Chemnitius Exam. Concil. Trid. P. I. f. 120. sq. loquitur, novam, inquit, Spiritum sanctum in mente & voluntate, δὲναιον, vim, efficaciam aut facultatem efficere, unde sequantur motus & actiones spirituales &c. Nec infundere illas qualitates, sicut liquor in dolium infunditur: sed ita ut sequantur motus & actiones in mente & voluntate. Quatenus autem beneficio virium acceptarum, à Deo moti, indies nosmet ipsos renovamus εἰς εὐνοίαν καὶ εἰκίνα τῷ Θεῷ, in cognitionem juxta imaginem Dei, in Adamo olim perfectissime relucentem, plenissimo autem jubare postmodum in Christo absolutissime resplendentem, recte etiam induitio hæc imitationis dicitur, & per imitationem fieri, ad exemplar justitiæ & sanctitatis primigeniæ, in Adamo olim ad similitudinem Dei conditæ, & perfectissimè postmodum in Salvatore conspicuæ. Unde B. Hieronymus in Eph. 4. Induite novum hominem, id est, ait, ut alio loco dicit, induite vos Iesum Christum. Qua vero ratione id intelligat pietate & facundia nobilis Doctor, nonnullis interjectis sic explicat: Qui igitur conversationem illius (Christi) & universas in se exprimere studet virtutes, ut sit mansuetus, sicut ille fuit mansuetus & humilis corde: & ponat animam suam pro amicis, ut ille posuit pro ovibus suis: verberatus non respondeat: maledictus non remaledicat, sed vincat in humilitate superbiam, iste indutus est novum hominem &c. Ante Hieronym. gloriosus Martyr Justinus etiam, qui Deum imitando novum induere hominem possimus, docuit Epist. ad Diognet. f. m. 501. Nec minus gloriosus Martyr Cyprianus etiam serm. de zel. & livor. f. 194. sequitur, inquit, Christum, qui preceptis ejus insistit, qui per magisterij ejus viam graditur, qui vestigia ejus atq; itinera sectatur, qui quod Christus & fecit, & docuit, imitatur. §. 8.

§. VIII. Etsi vero quod attinet *causam efficientem* Renovationis non negemus, quod hujusmodi detur subordinatio causarum, *Principalis* sc. quæ est tota SS. Trinitas; *appropriativè* quanquam, & sic peculiari ratione Spiritus sanctus, Rom. 8, 13. sq. Gal. 5. 16. sqq. 22. eximie B. *Irenæo* etiam explicante l. 5. contr. hæret. c. 11. f. m. 449. & *secundaria*, quæ est homo conversus & justificatus, qui cedens divinis motibus, obsequens ducitur, & cooperatur Spiritui s. adjuvanti, non ad conversionem, sed ad sanctificationem, *Dannhann*. Hod. p. 856: Traditur enim eadem Petro 1. Ep. 1. 22. sq. cum ait: Τὰς ψυχὰς ὑμῶν ἠγνικότες ἐν ἡρώακοῦ τῆς ἀληθείας διὰ πνεύματι, εἰς φιλαδελφίαν ἀνυπόκριτον, ἐκ καρδίας ἀλλήλους ἀγαπήσατε ἐκτενῶς, qui *animas vestras purificastis per obedientiam veritatis per spiritum, in amorem fratrum simulationis expertem, ex puro corde vos invicem diligite intense*: Quando tamen Apostolus à renatis Colossensibus postulat, quod debeant esse ἐνδυσάμενοι τὸν νέον ἄνθρωπον; licet non neget, sed præsupponat potius gratiosum Spiritus s. per verbum & Sacramenta influxum, & operationem in corruptas per peccatum hominis facultates, intellectum sc. renovamur enim εἰς ἐπίγνωσιν, Col. 3. 10. voluntatē, affectus etiam, & à quo hi proveniunt appetitū, ceu alibi jam explicatum est, Rom. 6, 4. Tit. 5. atq; vivificationem, Col. 3, 1. directe tamen, cum usurpat verbum ἐνδύω, sive potius hujus participium, respicit ad officium causæ *secundariae*, quæ est homo justificatus & regeneratus, qui seipsum quoq; renovat, & renovare debet, adjuvantique Spiritui sancto per acceptas vires cooperari, sive iste motibus transeuntibus, & per modum formæ assistentis, sive per recens creatum, & actualiter, inhærens auxilium gratiæ renovatricis operetur, & adjuvet. Urgemus, hoc asserentes, vim participij ἐνδυσάμενοι. Vult enim, ut novum hominem induamus, *velut vestimentum, & ornamentum*, *Eduard. Leigh.* in Crit. s. N. T. p. 214. h. c. ut novo homine nosmet exornemus. Recte vero etiam is se induere dicitur, qui alteri ad sui induitionem cooperatur. *Convivificati vero cum Christo, & cum illo consurgentes*, Eph. 2, 4. Col. 3, 1. nova vita, & novis præditi viribus, possumus hinc novum hominem induere, uti possumus *in novitate vita ambulare*, Rom. 6, 4. & spiri-

✻ *actiones corporis mortificare*, Rom. 8, 13. Quin vero id etiam debeamus, nullum est dubium, docentq; loca producta. Sic enim B. Martyr Cyprianus, serm. de zel. & liv. f. m. 193. *Si recesserunt de pectore tuo tenebra: si nox inde discussa est: si caligo deteresa est: si illuminavit sensus tuos splendor diei: si homo lucis esse coepisti, qua sunt Christi sequere: quia lux & dies Christus est.* Conf. Rom. 6.

§. IX. Est vero Christus non solum perfectissimum exemplar, in quo justitia originalis & integritas, ad quam novum hominem induendo contendere debemus, perfectissimè & absolutissimè resplenduit; sed & hujus induitionis causa meritoria. Insiuatur illa ab Apostolo cum meminit nostræ cum Christo resurrectionis Col. 3. v. 1. cum ait: *Εἰ ἐν ὁμνύσαντε*, si igitur consurrexistis cum Christo. Hinc enim petitur v. 5. ratio, quare membra nostra mortificare debeamus, quod quotidiana sanctificatione & renovatione fit; deponere etiam iram, excandescentiam, malitiam, blasphemiam, turpiloquium ex ore, mendacia, v. 8. sq. quod ad induitionis, de qua h. l. sermo, effectus essentielles, & inseparabiles pertinet. Conf. *Hülsem.* Brev. c. 13. supplem. §. 5. *Consurreximus nimirum cum Christo*, quod uti loquitur Apostol. Col. 2, 12. *consepulti cum ipso in Baptismate fueramus, in quo etiam una suscitati fuimus, per fidem efficaciae Dei; consurrecturi cum Christo, nec vivificandi ad novam vitam per renovationem vivendam, nisi prius cum Christo in Baptismate in mortem ipsius consepulti*, Rom. 6, 4. h. e. explicante B. D. Seb. Schmid. Comment. in Colos. 2, 12. (al. II.) p. 147. *meriti passionis & sepulturae Christi participes facti essemus.* Recte hinc B. Irenæus adv. hæres. l. 3. c. 10. f. m. 282. *Christum in compendio salutem nobis ait prestitisse, ut quod perdideramus in Adamo, i. e., secundum imaginem & similitudinem esse Dei, hoc in Christo Jesu reciperemus, virtute sc. meriti illius.* Docetur idem à Paulo Tit. 3, 5. sq. & defenditur ab orthodoxis contra Socinianos, & alios hostes gratiæ renovatricis.

§. X. Quanquam autem Apostolus usus Participio *ἐνδυνάμει* directe ad cooperationem respicit, qua viribus superne acceptis, & gratioso Spir. s. motu tactus motusque homo justificatus, ad suam renovationem concurret, distinctius tamen ad-

huc explicabimus, qua ratione hæc *induitio* se habeat *ex parte spiritus sancti*, & ex parte *subjecti renovandi*. Prius si consideramus, hoc ipso improbamus *Socinianorum* impiam & ineptam disciplinam, non solum inepte regenerationem & renovationem confundentium, & illam per hanc definiendum, imo potius per hujus effectus describentium, quos hoc nomine solide confutarunt BB. nostrates *Wellerus*, Comment. Ep. ad Rom. 6. 4. p. 371. *Calovius* Socinism. Proflig. p. 680. *Scherzerus* Colleg. Antilocin. p. 618. sqq. sed etiam præfracte negantium, *Spiritum s. causam* esse hujusmodi *renovationis*, qua *lucta cum carne & ejusdem concupiscentiis, animus immutatur, & novus homo fit*, contra scripturæ loca supra allegata, & doctrinam, fidemque veterum. Causalitatem vero Spiritus s. quod attinet, debetur ei hæc *induitio* tanquam *causæ Principali*, sic ut solus, sine ulla nostra *συνεργεία*, initium ejusdem faciat, uti homini viribus se induendi destituto, aliunde indumenta & vestimenta necessario applicanda sunt, vel certe ejus applicationis initium aliunde fieri debet. Pari quippe ratione homini ex se destituto viribus pelendi intellectus tenebras, rectificandi appetitus à Deo & omni bono spiritali aversos, cohibendi affectus, illorumque impetus adversus legem, quæ spiritalis est, Rom. 7. exorbitantes, atque corrigendi omnes animæ facultates, ad facienda bona lege præcepta, cum *ἡ ἀμαρτία sit ἡ νόμος*, 1. Joh. 3. 4. tales vires Spiritus sanctus conferendo, renovationis nostræ initium facit in nobis, sed sine nobis, sine ullo nostro concursu activo. *Κλιθεύμενοι*, creati hinc dicimur, Eph. 2. 10. quod opus divinæ virtutis est, & tribuitur Spiritui sancto, Tit. 3. 5. Uno eodemque momento temporis quidem accipimus à Spir. s. vires supernaturales credendi, & sancte vivendi; sed illas referimus ad generationem, has ad renovationem, quo utriusque discrimen formale, in scripturis insinuatam, Tit. 3. 5. Joh. 3. 5. 1. Petr. 1. 3. Jac. 1. 17. contra *Socinianos*, & alios salvum maneat. Influit autem, & operatur sic gratiose Spiritus s. in mentem, voluntatem, affectus, & ceteras animæ nostræ facultates, novas vires, qualitates supernaturales inherentes, producendo, *Chemnit.* Exam. C.T.P. l. f. 120. sq. Hæ accedente gratiose ejusdem Sp. s. augmento,

to,

to, juxta promissionem Christi, Matth. 13. 12. & corroboratio-
 ne, Col. I, II. subjecto etiam renovando malitiose non repugnan-
 te, sed ceu vivo, & spiritualibus viribus prædito, cooperante,
 impietatis habitum transire incipiunt. Ad has David respicit,
 orans Ps. 51. v. 12. *cor novum crea in me Deus*, quod non de
 creatione novæ substantiæ, sed novarum qualitatuum accipien-
 dum esse, Theologos monere notum est, vid. B. D. Seb. Schmid.
 de imag. Dei p. 260. Eximie etiam, ut solet B. D. Hülsemann. Harm.
 Paul. & Jacob. §. III. *fieri potest*, inquit, *ut Deus in justificatione*
facultatem quandam homini infundat, per quam *juste agere pos-*
sit & debeat, (*uti revera sit*: Fide enim purificat Deus corda Act.
 15. 19.) *quæ & generet actus moraliter justos*, & generet tan-
 dem ipsam *habitum juste agendi*; quod facit *fides*, quæ tanquam
 arbor bona generat *fructus*, non *specificè & univoce eosdem cum*
arbore, sed *patientiam, dilectionem, aliasque virtutes*, quæ non
 semper ex *habitu patientiæ* prodeunt, sed ex *motu transeunte*, qui
 motus sæpius *recurrens & admissus*, tandem *continuat*, & dicitur
habitus, juxta *parabolam Marc. 4. 27*. Motus enim hujusmodi
 gratiosi, sint transeuntes licet, excitant tamen efficaciter, & suf-
 ficienter movent voluntatem. Notare *renovationem* hinc B.
 Hülsemannus noster rursus ait, Brev. suppl. c. 12, §. 1. *Dei actio-*
nem in nobis, jam in gratiam receptis, producentem per *verbum*
& sacramenta bonos motus internos & externos, distinctos à fiducia
justificante. Hi motus interni, licet subjective & passivè nostri
 sint, effective tamen sunt Dei, à Deo in nobis producti, & per
 nos, sic motos, in bonos motus externos exeuntes. Rom. 6. 13.
Deus est, monente B. Augustin. de grat. & lib. arb. c. 16. t. 7. opp.
 f. 1315. *qui operatur in nobis velle & perficere, certum est nos fa-*
cere cum facimus, sed ille facit ut faciamus, præbendo vires
efficacissimas voluntati, qui dixit: *Faciam ut in justificationibus*
meis ambuletis, & judicia mea observetis & faciatis. B. Dann-
 havverus etiam gratiam Spiritus s. cooperantem in homine nova
 vita prædito, inter actuales gratias relatam, hoc sensu *formam as-*
sistentem appellavit in Hodol. tab. ad pag. 856. *Agimur enim*,
 Rom. 8. 14. Gal. 5. 12. 18.

§. XI. Producit autem hos effectus Deus, ceu notatum, per verbum & Sacramenta. Verbi divini efficaciam in ordine ad renovationem, divinosque motus per illud ad eundem finem in illis, qui non cum morosa malitia illud audiunt, transeundo se exerentes, prædicat *Jacob. 1. 21.* Prædicatur enim l. c. ab Apostolo verbi divini efficacia, non tantum in ordine ad salutem, sed etiam in ordine ad *deponendas sordes spirituales, & omnem malitiam.* Manere hoc semen ait D. *Johannes 1. Ep. 3. 9.* in regenitis, *ut peccatum non faciant.* Malo B. *Hülsemanni* de Auxil. Grat. p. 191. potius, quam meis verbis, rem hanc explicare: *Officium verbi est,* ait judiciosissimus Theologus, *regignere, & continuare etiam renovationem per continuam representationem rei auditæ, sermo enim est veritas, per quam etiam sanctificamur in veritate Joh. 17, 17.* Baptismus *Paulo* audit *lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus s.* ceu qui ad renovationem instituendam hoc medio utitur, *Tit. 3. 5.* *Sanans nimirum aqua, quod Spiritus s. descenderit, & aquam illam consecraverit,* explicante *Ambrosio 1. de sacr. c. 5.* Eleganter de virtute Baptismi renovatrice organica ex Græcis *Cyrillus Hierosolymit. Catech. 3. εἰδ' ὅταν τῆς χάριτος ἁγιαξιοῦσῃς, τότε σοι, πρὸς τὰς ἀντικειμένας δυνάμεις παλαίειν δίδωσι τὴν ἐξουσίαν,* cum tibi gratia confertur, tunc tibi adversus contrarias virtutes pugnandi dat potestatem. Eleganter etiam B. *Augustinus t. 1. Opp. de Mor. Eccles. c. ult. f. 776.* illo, inquit, *sacro sancto lavacro inchoatur innovatio novi hominis, ut proficiendo perficiatur, in aliis citius, in aliis tardius: à multis tamen proceditur in novam vitam, si quisquam non inimice, sed diligenter intendat.* Plura de hac virtute Baptismi renovatrice vides apud Patres Ecclesiæ, & nostrates Theologos, D. *Gerhard. de Baptism. §. 112.* & alios: Ex quibus B. *Hülsemann Brev. c. 10. §. 15.* explicans modum, qua ratione Deus per Baptismum, tanquam medium influens, in homine fidem & pietatem efficiat, per motum id fieri ait, non per infusionem habitus. Et sic se habet novi hominis induitio ex parte Spiritus S.

IX 2

angeb. 6,
u. 5

DE
INDUITIONE
NOVI HOMINIS,

Ex Col. 3. 10.

DEO feliciter annuente,

In inclyta Argentoratensium Academia,

POSTERIORI VICE

PRÆSIDE

DN. JOHANNES JOACHIMO
ZENTGRAVIO,

SS. Theol. D. & P. P. Capit. Thoman. Canonico, &
Ecclesiaste, Facult. Theol. h. t. Decano

respondebit

M. JOH. JACOBUS LEUTELIUS, d. Roth,
Argent.

d. Febr. hor. locoque solit.

ARGENTORATI,
Literis JOHANNIS PASTORII. 1701.

ILLUSTRI
DNN. DISPENSATORUM
LEGATI
SCHENCKBECHERIANI
COLLEGIO:

VIRIS

MAGNIFICENTIA MERITORUM, NOBILITA-
TE GENERIS, MUNERUM AMPLITUDINE, MAXIME VENE-
RANDA DIGNITATE, CONSILIORUM GRAVITATE, MULTI-
PLICI EXPERIENTIA PRUDENTIAQUE EXCELLEN-
TISSIMIS, CLARISSIMIS:

Dominis suis Gratosius, Patronis summis,
summa veneratione devote colendis,

Primitias has Theologicas

humillime dicat, consecrat, offert,

TANTORUM NOMINUM

devotissimus cultor

M. JOH. JAC. LEUTEL, d. ROTH,
Argentinensis.



DE
INDUITIONE
NOVI HOMINIS

ex Col. III, 10.

ALTERA PARS.

§. I.



Xplicaturi quatenus *inductio* hæc novi hominis se habeat à parte *subjecti induentis*, hominis sc. renovandi, certum id *primo* esse dicimus, subjectum hoc non esse hominem in puris naturalibus consideratum, novo homine, ceu veste, qua *spoliatus* est, de quo *Bellarmin. t. IV. opp. de stat. prim. hom. c. 5. tegendum.*

Ostendimus enim jam in dissert. de Nov. hom. renovat. §. 6. sq. quomodo speculatio hæc, & abstractio *Scholasticorum*, hominem ponat in statu Dei sanctitati & bonitati divinæ repugnante. Ne dicam, hominem renovandum, in statum integritatis, quo excidit lapsu infelici in Paradiso olim commisso, restituendum, & justitia originali rursus exornandum, non tantum laborare carentia imaginis divinæ, cujus primaria pars justitia originalis fuerat, imo ipsa imago Dei; sed contrario etiam injustitiæ habitu, fœdamq; & pudendam contraxisse vetustatem, ita ut per inductionem hanc non nude spoliatus homo *tegendus*, sed vetustus contractus habitus injustitiæ originalis ordine naturæ prius exuendus sit. Quod enim *Bellarmin. l. c. c. 7. hominem in puris naturalibus,*

A

Scho-

Scholastico sensu explicatis, consideratū, *sine justitia, & sine peccato creatum, suam habere quandam reſtitutionem* contendit, *quatenus videlicet NULLAM habet vitij curvitatē*, id facilius aſſeritur, quam probatur; ceu contra *Bellarminum, Turrianum, Gregorium de Valentia, Erbermannum*, supra ostendimus. Notanter autem dixi, me loqui de *puris naturalibus sensu* adverſariorum *ſcholastico* explicatis. Alio enim modo *pura naturalia* concedi poſſe, recte docuit B. D. *Sebast. Schmid.* de Imag. Dei p. II. c. 6. p. 434. Urget quidem Cardinalis l. c. c. 6. non tantum ex ſcripturis, Eccleſ. 17. 1. ſeqq. Luc. 10. 30. ſed à Patribus etiam, *Chryſoſtomo, Ambroſio, Auguſtino*, vocari *juſtitiam originale* indumentum, veſtem; uti etiam noſtro loco ab Apoſtolo jubemur *induere novum hominem*. *Vides, inquit §. vides in his locis, juſtitiam originale* indumento, quod *ſuperadditur extrinſecus humano corpori, perpetuo comparari*. Verum *indumenti, induitionis* voce, & participio *ἐνδύομαι, μίμωμι*, neutrum probatur. Non hoc, quod *reſtitudo illa, cum qua Adam creatus fuit, & ſine qua poſt ejus lapſum homines omnes naſcuntur, donum ſupernaturale fuerit*, ut Cardinalitia habet propoſitio l. c. c. 5. Nec illud, quod *induitio, de qua nobis ſermo, ſit induitio hominis juſtitia originali tantum ſpoliati, & ſic per ſe, ſi culpam originale* detrahas, & ſpoliationis circumſtantiam, quæ tamen rem ipſam non mutat, auferas, in ſtatu purorum naturalium conſtituti. Non prius, quia comparatio ab *indumento, & induitione* ſumta inſtituitur, & extenditur ultra tertium comparationis. Aliud enim nil ſignificatur hac comparandi formula, quam quod *juſtitia originale* primi hominis ornamentū etiam fuerit, quo non tollitur id, quod fuerit etiam *qualitas naturalis*, ad integritatem ejus naturalem pertinens. Dantur enim etiam hominis ornamenta naturalia, verbi cauſ. felicitas ingenij, pulchritudo corporis, & ſimilia. Nec etiam poſterius. *Spoliatus enim veſtimentis ſuis novis non ſolum illis careret, ſed etiam nonnunquam tam male, indecore, fœde veſtitus eſt, ut tegenda nuditas ubique appareat. Eade & vetuſtate ſqualidus hujusmodi veſtitus prius exuendus eſt, antequam novus induatur.* Ad ſcripturæ loca à *Bellarmino* allegata reſponderunt diſtinctius BB. noſtrates *Dannhauer*, H. P. t. 1. p. 1002. ſq. *Seb. Schmid.* l. c. p. 426. ſeqq. §. II.

§. II. Deinde participium ἐνδυσάμενοι vi verbi ἐνδύειν, ἐνδύ-
 εσθαι, tam late patet, ut dicatur etiam tam de induitione mortuorū,
 quam de induitione infirmorū, quibus sufficientes vires non sunt,
 ut soli sine alieno auxilio vestes induere possint. Constat sane de
 ritu mortuos vestiendi, non solum ex moribus hodiernis, sed
 etiam ex Historia antiqua. De Græcis, & funere Patrocli cecinit
Homerus Iliad. l. 18. p. m. 668. quod *ablutum & unctum ἐν*
λεχέεσι δὲ θέντες, ἱανῶ λιπὲ κάλυψαν ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς. κατὰ πρῶτον δὲ,
φάσει λεκῶν, in lectis componentes linteo subtili texerunt ad pedes
à capite, desuper autem veste alba. De veterum Romanorum
 ritu constat ex *Polyb.* l. 6. c. 51. & *Plutarch.* t. 2. Opp. in 99. Rom.
 f. 279. Turcis idem more receptum esse docet *Lonicer.* Hist.
 Turc. t. I. P. II. c. 19. De Judæis *Buxtorf.* Synagog. c. 35. idem
 testatur. Infirmorum autem, qui soli vestimenta induere ne-
 queunt, sed necessario auxilio indigent, exempla quotidie oc-
 currunt. Applicando itaque hæc ad statum *subjecti* novum ho-
 minem induentis, dicimus, quod cum hi diversi divinæ gratiæ
 effectus, regeneratio, justificatio & renovatio, simul sint tem-
 pore, licet ob formale discrimen quod intercedit inter eosdem,
 & quo differunt, cum ordine quodam quem inter se habeant,
 concipiantur, recte hinc affirmetur, *Hülsemanno* quoque ob-
 servatum *Harmon. Jacob. & Paul. de Justif. contr. Grot. §. III. in*
justificatione etiam hominem renovari, nec tamen renovationem
esse formam justificationis. Etsi enim in justificatione etiam
 simul Deus vires homini largiatur, per quas juste agere possit &
 debeat, à quibus etiam fides non excludi debet, ceu qua *corda*
purificantur, Act. 15. 9. ad ipsum justificationis actum tamen hoc
 non pertinet, à quo distingui debet. Licet enim cum justificationis
 actu id simul fiat, & in ipsa justificatione peragatur, minime ta-
 men ad ipsam pertinet justificationem; tantum abest ut hujusmo-
 di virium spiritualium infusio, vel operatio interior, sit vel ipsa
 hominis justificatio, vel pars ejusdem, vel quod renovatio ejus-
 dem forma dici possit, ad quam potius se consequenter habet, ita
 ut sit aliquid, quod jam justificatis accidit: mutatio nimirum
 quædam interior, quæ in justificatos cadit, licet primum ejus ini-
 tium, atque prima virium spiritualium, ad interiorem istam in-

intellectus & appetituum immutationem, motuumque bonorum,
 tam internorum quod externorum, productionem pertinentium
 collatio in ipsa justificatione, & sic tempore simul cum ea fiat,
 imo facta fit. Similiter licet, de eo quod tempore simul fit cum
 alio loquendo, in regeneratione etiam renovatio incipiat, reno-
 vatio tamen nec ipsa regenerationis forma est, nec homo qua est
 objectum gratiæ spiritus S. regeneratricis, sub eadem ratione est
 objectum gratiæ renovatricis actualis, alias Apostolus Tit. 3.
 non tam distincte & solcite *inter regenerationem & renovatio-
 nem* distinxisset; etsi eo momento quo Spiritus s. hominem re-
 generat, etiam renovare eundem incipiat, fit licet illa actio
 momentanea tantum, homine mere passive se habente, hæc vero
 successiva, homine ex viribus dativis cooperante. Cum itaque
 in regeneratione homo vivificetur, Eph. 2. 5. & per prævia
 collationem virium spiritualium, quæ successive fit, ex spirituali-
 ter mortuo fiat spiritualiter vivus; id quod qua effectus gratiæ per-
 ficientis est, in momento contingit; vivatq; vitam fidei, Gal. 2. in
 renovatione hinc non poterit homo jam regeneratus & justifica-
 tus, amplius ut spiritualiter adhuc mortuus considerari. Vires
 etiam quas in regeneratione accepit, ut per illas juste & recte
 agere etiam incipiat, non ad ipsam regenerationem, ceu jam fa-
 ctam, pertinent; sed ad regenerati, & per fidem in Patrem cœ-
 lestem, & Salvatorem nostrum Jesum Christum vivificati, reno-
 vationem divinitus ordinatæ sunt, ad corrigendas, rectificandas
 & misere corruptas facultates restituendas, actiones item & pas-
 siones hominis tam naturales, quam præternaturales, tam inter-
 nas quam externas, Decalogo conformandas; ita ut vivus licet, &
 justificatus, ex se tamen ad novum hominem induendum infir-
 mus, & viribus spiritualibus penitus destitutus, beneficio virium
 superne in regeneratione & justificatione acceptarum, motus
 per gratiosum influxum spiritus sancti, ad renovationem suam
 etiam concurrat, & se ipsum renovet, novumque hominem in-
 duat. *Hilsem. Brev. c. 12. §. 3. 6. sq. Dannhavv. Hodol. p. 946.*
 Sequitur hinc, quod hæc novi hominis induitio ratione *subjecti
 induentis* sit hominum quidem spiritualiter jam vivorum, ex se
 tamen viribus novam hanc vestem induendi destitutorum, in-
 duentium

duentium tamen eandem beneficio virium superne acceptarum, cooperando spiritui sancto, qui induitionis hujus gratiosæ, gratia sua renovatrice actuali felix initium facit. Hoc enim justificatorum officium est. Eximie & pie hinc *B. Brentius Comm.* in *Jes. 1. 19. f. m. 22.* ad quæstionem, *num aliud nihil ad consequendam veram puritatem agendum, quam ut credamus nos esse puros & mundos propter Christum.* Nihil certe aliud, inquit, quam ut exerceamus hanc mundiciem, & testemur eam operibus coram Deo & hominibus. Recenset igitur *Propheta*, quod faciendum sit postquam consecuti fuerimus mundiciem spiritualem. Jam olim gloriosus *Martyr Cyprianus* de *hab. virg. t. m. 15.* ita scripserat: *Glorificemus & portemus Dominum puro & mundo corde, & corpore & observatione meliori, ut qui per sanguinem Christi Domini nostri redempti sumus, per omnia servitutis obsequia redemptoris imperio pareamus, demusq; operam, ne quid immundum & profanum templo Dei inferatur, ne offensus sedem, quam inhabitat, derelinquat.*

§. III. Cum itaque *subjectum* renovationis, & consequenter etiam induitionis novi hominis, secundum ea quæ notavimus in *disp. de Renov. nov. hom. §. II.* & hæctenus etiam diximus, sit totus homo, secundum animam ejusque facultates, tam superiores, quam inferiores, omnes item actiones & passionnes, atque corpus, membraque illius, *Col. 3. 5. sqq. Rom. 6. 12. sq. c. 8. 5. sqq. 12. sqq. 1. Thess. 4. 3. sq. c. 5. 23.* patet disciplinæ *Bellarmini l. 5. de amiss. grat. & stat. pec. c. 3.* non esse subscribendum. Nam nostrum explicans locum, ita scribit ad *object. quart. §* ad illud autem ad *Colos. 3. Respondeo, hominem renovari per gratiam in ea parte sui, secundum quam est imago Dei, juxta illud ad Ephes. 4. Renovamini spiritu mentis vestrae.* Expresius locutus est *Bellarmin. de grat. prim. hom. c. 3.* nostrum locum sic explicans: *Homo qui renovatur in agnitionem secundum imaginem Dei, ad quam initio conditus fuerat, animus noster est, qui per Christi gratiam quotidie proficit in agnitione Dei, & sanctitate ac justitia, & eo modo renovatur in eo divina imago, quæ per peccatum obscurata fuerat.* De eadem renovatione quæ *imagini divine* attribuitur, atque fit *secundum novi hominis indu-*

mentum, & ad mentem pertinere dicitur, mentio fit apud Thom. I. q. 93. a. 2. 6. Verum ex infirma hæc disputat Bellarmin. hypothesi, quod aliud sit *imago Dei* in homine, aliud *similitudo*, de qua grat. prim. hom. c. 2. agit, æque Pererio l. 4. in Genel. atque nobis improbata. Quod enim homo, ut loquitur Greg. de Valentiat. l. f. 1444. *ut est natura intellectuali præditus, secundum mentem vere ac proprie sit imago Dei*, nostro repugnat quem tractamus loco. Dicimur quippe ἐνδύσασθαι induentes novum hominem, renovatum in agnitionem, καὶ εἰκόνα τῆς κτίσεως αὐτῶν h. e. explicante B. Hülsemanno Brev. c. 12. suppl. §. 5. congruentem *imagini renovantis Dei*, sic ut habens hujusmodi ἐπίγνωσις sit in *imagine Dei*, כְּצֶלֶם אֱלֹהִים Gen. 1. constitutus, uti disputavimus de Renov. §. 25. Sicut itaque post novi hominis renovationem εἰς ἐπίγνωσιν, renovatiq; induitionem, sumus demum כְּצֶלֶם אֱלֹהִים in *imagine Dei* constituti, & secundum rationem divinæ imaginis novo homine induti; ita cum scripturis loquendo imago Dei naturalis non poterit dici sita in intelligentia & voluntate, ceu quæ etiam in nondum renovatis dantur. Gtatis hinc defendit Gregorius de Valent. l. c. f. 1448. *quamvis homo in statu innocentia perfectior fuerit imago Dei, utpote qui præstans donum gratiæ & justitiæ originalis habuit, tamen nunc etiam in statu nature corrupta esse veram Dei imaginem.* Deinde locum nostrum male vel ἀγασσάζει Bellarminus, vel applicat, cum ait: *Homo qui renovatur in agnitionem secundum imaginem Dei, ad quam in tunc conditus fuerat.* Verba enim Apostoli, καὶ εἰκόνα τῆς κτίσεως αὐτῶν, νέον ἀνθρώπων, hanc, quam Bellarminus habet, neque ἀγάσασθαι, neque versionem admittunt, cum Genitivus τῆς κτίσεως sit efficientis, & renovationis causam efficientem primam, & actionem notet, quæ ejus infert causalitatem. Male præterea Cardinalis *hominem renovatum in agnitionem secundum imaginem Dei, dicit esse animum nostrum, olim vitiatum, in Adamo sc. per amissionem gratiæ, & justitiæ originalis, qui per Christi gratiam quotidie proficit in agnitione Dei, & sanctitate & justitia.* Nam ne de ἡ ἀδερμυνεῖα hic commissa quid dicam, cum diss. de Nov. hom. docet, τὸν νέον ἀνθρώπων τὸν ἀναγεννῶμενον εἰς ἐπίγνωσιν καὶ εἰκόνα τῆς κτίσεως αὐτῶν, *novum hominem renovatum*
in

in agnitionem secundum imaginem eius, qui creavit illum, longe aliter explicandum esse, quam à Bellarmino factum: Fallitur idem, quod ad animum tantum nostrum profectum hunc in agnitione Dei, sanctitate & justitia restringit, cum appetitus inferiores, concupiscibilis & irascibilis, excludi non debeant. Dicit enim Renovatio omnium facultatum & actionum cum norma legis conformationē, ita ut in appetitus etiam irracionales sanctitas per eandem incipiat introduci. Conf. 1. Theff. 4.2.3. Rom. 13.14. Gal. 5.16. sqq. 24. sq. Perperam hinc Becanus in Theol. Schol. P. I. tract. 4. c. 3. q. 2. §. 6. p. m. 379. & qui cum illo sentiunt, statuunt, per Baptismum, qui est lavacrum renovationis in Spir. s. Tit. 3. nos recuperare rectitudinem appetitus sensitivi, eo sc. modo quo in mente & voluntate justitia originalis incipit recuperari, cum loca ex scripturis producta confirmant, effectum renovationis proximum, eumq; privativum esse, ut Hülsem. in Brev. c. 21. suppl. §. 5, docet, diminutionem motuum inordinatorum & prohibitorum in appetitu, Rom. 7. 5. 6. Confirmatur id ex Col. 3. 5. sqq. 8. sqq. & sic per collationem verborum antecedentium cum nostro loco, v. 10. Col. 3. Mortificari nimirum præcipit Apostolus membra nostra, quæ super terra sunt; scortationem, immundiciam, passionem, concupiscentiam malam, sic ut etiam deponamus iram, excandescentiam, exuentes veterem hominem cum actionibus. Hæc uti per sanctificationem & renovationem fiunt, cum renovationis effectus alij privativi, alij positivi sint; ita recte hinc infertur, quod cum exuitionis & induitionis subjectum idem sit, ut exuitionis subjectum, quod veterem hominem deprivandum est, seu quod veterem hominem exuere debet, non superiores tantum, sed & inferiores sunt facultates, sic eadem quoque sint subjectum induitionis novi hominis, seu quod novo homine exornandum rursus est per renovationem.

§. IV. Diximus aliquoties, induitionem hanc, participio ἐνδύσασθαι notatam, notare ex parte subjecti ἐνδύσασθαι cooperationem ejusdem ad renovationem. Est enim induitio hæc vivorum, seu spiritualiter vivificatorum, Eph. 2. 5. instructorumq; viribus in regeneratione acceptis, & ad renovationem à Deo Patre, ministerio verbi & sacramentorum, Jac. 1. 18. Tit. 3. 5.
nos

nos regenerante, ordinatis. Oritur vero cooperatio ipsa ex *vires dativis, & motibus divinis*, Dannhavv. explicante in Hodol. p. 946. *Recte docetur*, secundum F. C. art. de Lib. arb. p. 582. *quod Dominus in conversione per spir. s. tractationem, (id est motum & operationem) ex hominibus repugnantibus & nolentibus, volentes homines facit: & quod post conversionem in quotidianis pœnitentiæ exercitiis hominis renati voluntas non sit otiosa, sed omnibus Spiritus sancti operibus, quæ ille per nos efficit, etiam cooperetur.* Licet itaq; homo se non regenerare & convertere ex se queat, per vires tamen in regeneratione acceptas recte is se renovare, & ad suam suiq; renovationem concurrere, dici potest. Nimirum sicut vivus, infirmus licet, membra movendo, & ad vestimenti induitionem, sive applicationem, se accommodando, & alia etiam agendo se induit, & adjuvanti sui induitionem cooperatur; ita regeneratus, & justificatus, motus per gratiosum influxum superioris, concurrat ad suam, ut diximus, renovationem. Conf. *Hülsemann*. Brev. c. 12. §. 3. p. 162. Sed distinctius *inductio hæc cooperativa* explicanda est.

§. V. *Vires* itaque superne acceptas, & *dativas* has quod attinet, quarum beneficio novum hominem renati induimus, & sic nosmet ipsos, ad nostram renovationem cooperando, renovamus, hoc numero primo habemus *fidem*, de qua jam supra actum. Cum enim fides non solum justificet, Rom. 3. 28. Gal. 2. 16. sed etiam *per charitatem* operetur, Gal. 5. 6. *per eandem etiam corda nostra purificentur*, Act. 15. 9. duplicem hinc dari fidei causalitatem, recte infertur: Alteram in ordine ad *justificationem*, atque *regenerationem*; alteram in ordine ad *renovationem*. Illa fit *organice*, per apprehensionem, & *receptionem* Joh. I, 12. *appropriativam* justitiæ Christi, factam per applicationem quandam *logico-moralem* ad subjectum ita credens, Deo gratiose & gratis peccata remittente, & justitiam Christi, sic appropriative apprehensam, propter Christum credenti realissime in suam justitiam imputante, Rom. 3. 24. 25. c. 4. 5. & ἐξουσίαν τίναν Θεῷ γενέσθαι, *potestatem ut filij Dei fiant*, & sint, concedente: atq; ex parte nostra in circo justificationis, ad quem pertinet, sola locum obtinet. Hæc vero habet se ad modum
causa-

causalitatis in agente per *emanationem*, uti fructus ab arbore bona proveniunt, Matth. 7. seqq. Conf. D. Seb. Schmid. Com. Gal. p. III. 114. sq. B. Carpzovio Itag. p. 265. operatio fidei per *charitatem* dicitur operatio ejusdem *vitalis*, ita ut per intrinsecam necessitatem, ex natura sua, & naturali indole operosa sit, nec infrugifera esse queat; imo B. Hülfemanno Harmon. Jac. & Pauli contra Grot. §. 91. rem hanc explicante, *de essentia & definitione salvifica fidei sit, esse principium generans bona opera*. Nunquam etiam fides ob hoc tantum mortua audit Jacobo Ep. c. 2. quod actu bonis destituitur operibus, & talia non producit; sed recte momente rursus B. Hülfemanno l. c. *præcipue ob carentiam actus primi generaturi bona opera*. Bona enim arbor uti internam habet bonitatem, ab ipsius forma provenientem, quæ principium est generaturum fructus, imo ipsa arboris forma concepta sub ratione principij hujusmodi fructus producturi; ita hyberno tempore, quo arida apparet, ob non sensibilem fructuum productionem, non est mortua. Deinde fides ratione hujus operationis *vitalis secundaria, & consecutiva*, uti rursus B. Carpzovio l. c. appellatur, non debet seorsim à Spiritu sancto, ceu separata ab illo, & ceu Christum non amplius amplexa spectari, à quo vitam suam semper habet. Semper enim verum est illud Christi Joh. 15. 4. 199. *Quemadmodum non potest palme fructum ferre à se ipso, nisi manserit in vite, ἄλλος ἢ ἐξ ἐμοῦ, ἐὰν μὴ ἐν ἐμοὶ μένῃ, ita neque vos, nisi in me manseritis*: &c. id quod fide fit, Gal. 2. 20. Eph. 3. 17. Phil. 1. 11. Add. Luther. t. 7. Altenburg. f. 108. 140. Opera etiam quæ fides in justificatis generat, interna & externa, *fructus spiritus* dicuntur Gal. 5. 22. quod renati sine gratia & auxilio Sp. s. ea non operentur. Egregiè hoc explicat *Apologia A. C.* p. 83. *Quia vero fides affert Spiritum s. & parit novam vitam in cordibus, necesse est, quod pariat spirituales motus in cordibus*. Rursus: *Postquam fide justificati & renati sumus, incipimus Deum timere, diligere, petere, & expetere ab eo auxilium, gratias agere & predicare, & obedire ei in afflictionibus. Incipimus & diligere proximos, quia corda habent spirituales & sanctos motus, quorum autor est Spiritus sanctus*. Graviter hæc passim iterum explicat B. noster *Lutherus*. Conf. tom. 9.

B

Alten-

Altenburg. f. 307. inprimis Præf. B. Viri sup. Epist. ad Roman-
 quando inter alia præclare dicta etiam sic loquitur: Glaube ist
 ein göttlich Werk in uns / das uns wandelt und neu gebietet auß
 Gott / Joh. 1. 13. und tödtet den alten Adam / machet uns
 ganz andere Menschen von Herzen / Muth und Sinn in allen
 Kräfften / und bringet den heil. Geist mit sich. Des ist ein leben-
 dig schafftig / thätig / mächtig Ding umb den Glauben / das
 unmöglich ist / das er nicht ohn Unterlaß solte gutes würcken. Rur-
 sus: wer solche Werke nicht thut / ist ein glaubloser Mensch.
 Nonnullis interjectis rursus: Durch den Glauben wird der
 Mensch ohne Sünde / und gewinnet Lust zu Gottes Gebotten.
 Add. B. Arnd. (de quo vid. B. Gerhard. in Loc. de Imag. Dei §.
 41. & B. D. Calovius Isag. l. 2. p. 260. n. 6.) de vero Christ. l. 2. c. 4.
 l. 3. c. 9. l. 4. c. 6. n. 14. Eadem veterum mens fuit. Unde
Theophilus Antiochenus l. 1. ad Autolyc. f. m. 74. *ὡς πάλος δὲ,*
 inquit, *ἠεργείδω σε ἐν τῇ καρδίᾳ πίστις καὶ φόβος ὁ τῆ Θεοῦ,* inprimis
requiritur fides & timor Dei, quæ duo in animo tuo precedere
debent.

§. VI. Fides itaque, quæ in renatis renovandis ex ope-
 ratione Spiritus s. primo omnium inhæret, cum non sit res igna-
 va, mortua, & omnis vitæ spiritualis expers, sed quam maxime
 actiuosa, & virtute Spiritus s. etiam, motibusq; ejusdem, *ἐνεργου-
 μίνη δὲ ἀγάπης,* operans per charitatem, Gal. 5. 6. quæ *ἡ νόμος πλή-
 ρωμα,* legis plenitudo Paulo audit Rom. 13. 10. *ὃ μέρους τῶν ἐντολῶν
 ἀλλ' ὁλόκληρον ἐν ἡμῖν κατορθῶσα τὴν ἀρετὴν,* & non aliquam tantum-
 modo mandatorum partem, sed omnem in nobis virtutem perficit,
 explicante Chrysostomo in Rom. hom. 22. f. 263. Cum, inquam,
 fidei hæc sit natura, ut facta à Spiritu s. renovationis initio, &
 progressu, generet actus moraliter bonos, pro diversitate objecti
 etiam specificè variantes, quales sunt actus spei, patientiæ, ca-
 stitatis, justitiæ &c. hi sæpius recurrentes, & continuati, ali-
 quid habituale relinquunt, quod ceu Spiritus s. gratia produ-
 ctum, *fructus spiritus* ab Apostolo appellatur, Gal. 5. 22. & in-
 ter vires dativas, seu potius augmenta virium dativarum, & su-
 perne acceptarum rectè refertur. Nam & harum virtutum
 Theologicarum beneficio indies renovandi *ὡς ἰσχυροῦσιν μάλλον,*
 magis

magis abundamus, in sanctimonia proficientes, eamque induentes. 1. Thess. 4. 1. sq. Dicuntur enim eadem fructus spiritus, bene explicante B. D. Sebastiano Schmidio in Comm. ad Gal. 1. c. p. 115. quod considerantur ut fructus bone arboris, seu qui uliro ex bona arbore sequuntur, per Spiritum sanctum, qui bonam arborem in fidelibus plantat. Nec male ex Reformatis Coccejus in Comment. ad Gal. 5. 22. §. 168. p. m. 270. potuisset, inquit, Apostolus dicere opera spiritus. Nam revera Spiritus ea operatur. Sed plus dicit, dum ἡ ἀγαθήν fructum vocat, notans quasi naturalem consequentiam, quemadmodum arbor bona non est sine fructu bono. Certe Spir. s. non habetur sine illis. Ubi illa defunt, ibi nec Spir. s. est, qui non potest esse sterilis ἡ ἀργεῖα, infructuosus.

§. VII. Viribus his spiritualibus, atque novis qualitatibus, quas mediante verbo & sacramentis Deus in nobis producit, accedunt *motus Spiritus Sancti*, quibus agimur & excitamur ad *vivendum σωφρόνως, ἡ δικαίως, ἡ ἐυσέλως, sobrie, ἡ ἰuste, ἡ pie*, Tit. 3. v. 12. Operatur autem Spiritus S. speciali & gratioso influxu in renovandos, & in renovandis, ita ut *agi* hinc dicantur, ἡ ἔργα, Rom. 8. 14. Per verbum etiam tanquam per instrumentum, salutare indit menti conceptus, voluntati autem & appetitui motus. Conceptus verbi, sive hortando, sive minando, sive promittendo insita divina efficacia operentur, etiam hominis voluntatem movent, ut divinæ gratiæ renovatricis impressiones admittat, & obsequens ducatur, atque id quod bonum est etiam velit. Operatur enim Deus in nobis τὸ θέλει, ἡ τὸ ἐνεργεῖν, Phil. 2. 13. Bene B. Hülseman. de auxili. grat. p. 240. quis, inquit, negabit, quando Deus dicitur dare, efficere, induere cor novum, renovare cor, dare alicui in cor hanc vel illam bonam voluntatem, actionem Dei in voluntatem ipsam intelligi, Ezech. 36. 26. 2. Cor. 8. 16. quæ Cypriani, Nazianzeni, Augustini, Origenis verbis illustrat, castigans ea, quæ perverse hic à Remonstrantibus disputantur. Gratia vero hæc tam in intellectum, quam in appetitus, & facultates agens, quod non habitualis, sed actualis sit, non operans per modum habitus permanentis, sed per modum motus, & actus transeuntis, inde etiam constat, quia non simul, sed pulsibus iteratis, & succes-

five, nec absque lucta carnis & spiritus, de quo Gal. 5. 17. sq. suos in intellectu, voluntate, & affectibus effectus operatur. Non male *Chrysostomus* ad Rom. 8. 14. Homil. 14. notat: *Non simpliciter dixit Apostolus, quicumque Spiritu Dei vivunt, ζῶσιν, sed quicumque spiritu Dei ducuntur, ἄγονται, δεικνύς ὅτι ἕως βύλεται αὐτὸ (πνεῦμα) κρείον εἶναι τῆς ἡμετέρας ζωῆς, ὡς τὸν κυβερνήτην τῆ πλοῦς, καὶ τὴν ἡνίοχον, τῆ ζεύγυς τῶν ἵππων, ostendens quod sic vult illum vita nostra dominum esse, ut gubernatorem navigij, & aurigam currus equorum. Nec corpus solum, sed ipsam etiam animam ὑποβάλλει τοῖς τοιαύταις ἡνίοχαις, habenis ejusmodi subijcit. Ex nostris etiam Theologis B. *Hülsemannus*, cujus ob vindicatam orthodoxiam doctrinæ de Gratia laus magna est in Evangelio, disputans contra *Hugonem Grotium*, in Harm. Paul. & Jacob. §. 15. de motibus hisce divinis ad renovationem tendentibus, & ad cooperandum pulsantibus, ita loquitur: *Fides tanquam arbor bona generat fructus, non specificè & univoce eosdem cum arbore, sed patientiam, dilectionem, aliasque virtutes, quæ non semper ex habitu patientiæ prodeunt, sed ex motu transeunte, qui motus sæpius recurrens & admissus, tandem continuatur, dicitur habitus, juxta parabolam, Marc. 4. 27. Idem in Breviar. c. 10. §. 14. docuit, & qua ratione Baptismus sit divinum renovationis organum, ad induendum novum hominem, explicavit. Crebris nimirum motibus Dei in movendo pergentis, & hominis sic moti, tandem introducit habitus renovationis, sed ob incapacitatem subjecti imperfectus; de quo postea.**

§. VIII. Motus hosce divinos, quos per gratiosam influentiam in renovando homine Spiritus S. operatur & exerit, quando homo conversus sentit, & admittit, illisque agi & duci se patitur, Rom. 8. 14. sic actus, motus, pulsus & tractus, Apocal. 3. 20. Joh. 6. 44. excitatur ad cooperandum excitanti, & adjuvanti actuali gratiæ auxilio Spiritus Sancti. Nisi enim contumaciter, & malitiose, motus suos exerenti Spiritui divino talis resistat, non manet sine motibus, in ipsa voluntate sic gratiose moti hominis renovandi exortis, fide in intellectu & voluntate non otiosa existente, sed ceu bona arbore egregias virtutes generante. Motibus etiam divinis mota & tracta voluntas hominis conversi & re-

& regenti, vult id quod bonum est, studetque bono, *ex quo boni studio nascitur tandem habitus renovationis.* Conf. B. Dannh. Hodof. p. 946. Sed ut sæpius monitum, illud *velle non provenit ex natura hominis, sed ipsa Dei gratia, ita ut una Dei gratia sit, quæ in nobis sine nobis operatur, & quæ in nobis cum nobis operatur,* explicante B. Meisnero Anthropol. P. II. disp. I. p. m. 26. Sic gratia & viribus Spiritus sancti instructi, præstamus quæ Paulum secutus B. Gregorius Nazianzenus monuit Orat. in Nov. Domin. quæ est 43. cum interprete Pircheimero f. 330. ait; *Innovamini, & veterem hominem abjicite, ac in vita novitate versati, omnibus ex quibus mors oritur, frenum imponite, omnia membra gubernate.* Ex viribus dativis vero, quæ per gratiosum Spir. s. influxum in nobis producuntur, motibusque divinis, cum ista cooperatio proveniat, quando sc. tracti obsequentes nos duci patimur, voluntate novis viribus instructa efficaciter id quod bonum est volente, patet etiam, quod uti gratia renovatrix sæpius inæqualiter admittitur, ita quoque cooperatio non eodem modo, & æqualiter se penes omnes habeat: Quæ tamen inæqualitas in cooperando non solum provenit ab inæquali hac mensura gratiæ, secundum quam præstatur, sed etiam quod concessa & admissa gratia, atque viribus, non omnes eodem modo semper utantur, nec divinis motibus æqualiter se trahi atque duci patiuntur, conf. Luc. 8. 18. verum iisdem resistunt. Agnoscit sane ipse *Molinaus*, Enodat. graviss. quæstion. de persever. p. 329. sq. resistibilitatem gratiæ in progressu, seu augmento. *Scimus*, inquit, *in conversione hominis hominem Deo vocanti solere reluctari, non tantum in primo momento conversionis, sed etiam in ejus progressu, h. e. continuatione, subinde assilientibus cupiditatibus.* Unde etiam inæqualis manet conversio stantium quotidiana. Aequalis enim licet sit corruptio originalis, qua ab Adamo descendit, diversimode tamen disponuntur homines ob accedentem perversitatem personalem, vel à parentibus per generationem acceptam; vid. *Sueton.* Cal. c. 25. vel alias malitiose contractam, vel corrupta educatione acquisitam, 1. Sam. 3. 13. *Cornel. Nep. Dion.* 3. 4. accedente multiplici carnis, Diaboli, & mundi impedimento, & varia malitia: quæ mala inæqua-

liter vincuntur; ceu in diff. de conver. contin. §. 35. disputamus.

§. IX. Inter propositiones *Quietistarum*, & *Michaelis de Molinos*, ab Innocent. XI. Pontif. d. 18. August. 1687. damnatas, illa quæ quarto loco legitur, ita habet: *Activitas naturalis est gratiæ inimica, impeditque Dei operationes, & veram perfectionem, quia Deus operari vult in nobis, sine nobis.* Sensu Quietistico accepta hæc propositio merito improbat. Quo enim ad orationem quietis passivam perveniatur, *suppressionem omnium desideriorum* urget *Molinos*, quo anima ab omni operatione positiva, & limitata imaginationis, intellectus, aut rationis quiescat, sic ut, ceu *Molinos* loquitur *Manud. Spirit. l. 3. c. 1. §. 4. infusam Christi cognitionem exercent silentio quieto, in interiore recollectione, & in parte animæ suæ superiori, & Spiritu libero, imaginibus, & externis representationibus, amore puro & omnibus creaturis spoliato.* Et l. 1. c. 7. §. 46. *ô quantum, inquit, hoc erit animæ tuæ opus, si continuet per horas integras orationem, muta, resignata, humilis, nil agat, sciat nihil, nec quicquam velit intelligere.* Hujusmodi resignationem idem *ibid. §. 44. unum medium fingit, ut anima una capax esse incipiat divinarum influentiarum, non autem pœnitentias, exercitia ac mortificationes solas, & quicquid proprijs viribus aggredi quis possit.* De quo excessu prolixius illustrissimus *Meldenium Episcopus, Jacobus Benignus Bossuetus* in *Instruct. sur les états d'Orail. l. 3. c. 2. sqq. p. 72. sqq.* Ad extasim enim, & Fanatismum talia ducunt, quem ut induamus, nulli præcipit *Apostolus*, tantum abest, ut ad hujusmodi perfectionem cooperari debeamus, quæ talem etiam statum infert, qui in hominem extra extasim constitutum in hac vita non cadit, nec *Apostolorum*, vel etiam *B. Virginis* exemplo probari potest. Eadem vero applicata ad renovationem, falso dicitur, *Deum velle in nobis operari sine nobis*, ex viribus scilicet dativis; non naturalibus, de quibus non quæritur, ceu hæctenus explicatum. Applicata autem ad conversionis & regenerationis opus eadem admittitur, ceu ex §. præcedenti patet; licet *Quietistæ* eandem non sic intellectam velint; cum proprijs viribus, quas alias *Bellarminum* l. 6. de grat. c. 10. ipsum etiam *Trid. Concil. sess. 6. c. 4.* non negare constat, non omnia denegatum eant.

§. X.

§. X. Spiritui vero Sancto cooperamur I. ad veteris hominis exuitionem, de qua Apostolus v. 9. præcedenti egit, cum ait: *Ἀπεκδυσάμενοι τὴν παλαιὴν ἀνθρώπου σὺν ταῖς πράξεσιν αὐτῆς, ex-nentes veterem hominem cum actionibus ejus.* Quæ vero, & quales hæc sint, explicatur v. 5. 8. hujus capituli. Describitur etiam v. 5. per *mortificationem membrorum*, cum *νεκρώσατε*, inquit, τὰ μέλη ὑμῶν, *mortificate membra vestra quæ super terra sunt, scortationem, immundiciem, passionem, concupiscentiam malam, & avaritiam.* Dicuntur autem membra mortificari, quando explicante Paulo ipso Rom. 6. 13. *non sistuntur instrumenta injustitiæ peccato;* si, cum in membris nostris concupiscentiam carnis sentimus, eandem per membra nostra *neutiquam perficimus*, Gal. 5. 16. ac si sensum carnis in membris nostris nullum sentiremus; ne *peccata in mortuo nostro corpore regnent, ut obediamus illis in concupiscentiis illorum*, Rom. 6. 12. nec per corporis membra ejus peccata committantur, explicante *Theodoreto* Com. in Col. 3. 5. Gratia etiam Spiritus S. cujus viribus præditi, & instructi, *actiones corporis, νεκρῶσαι τὸ σῶμα, mortificamus*, Rom. 8. 13. dicitur *mortifica: quæ & sanctifica* audit *Dannh. Hodol.* p. 952. sq. Exuatio hæc veteris hominis, & vetustæ per peccatum corruptionis, per membra corporis nostri in externorum peccatorum fœditatem erumpentis, & ni cohibentur erupturæ, præparatoria est ad induitionem novi hominis. Quemadmodum enim novas vestes induturi vetustate corruptas, & usu sordidas, prius deponere solent; ita novum induturi hominem veterem prius exuant necesse est. *Nemo enim, Salvatore explicante Matth. 9. 16. assuit assumentū pannirudis super indumentum vetustum.* Effectus hujus cooperationis est *privativus, diminutio* nimirum, ut B. explicat *Hülsem.* Brev. c. 13. §. 5. *successiva tenebrarum & errorum intellectus; pravi & illiciti propositi in voluntate, atq; motuum inordinatorum, & prohibitorum in appetitu.* Fanaticorum ineptias de mortificatione prolixè nec examinabimus, nec enarrabimus. De nugis Munceri, Anabaptistarum Coryphæi, conf. *Sleidan.* l. 5.

§. XI. Deinde II. cum ipsa *actualis* novi hominis induitio, seu *inductionis actus* peragitur, quando ceu regenerati, & justificati nova vita præditi, & gratia Spiritus S. renovatrice actuali instru-

instructi & moti, justitiæ originali sic studemus, ut diminuto statu corruptionis, indies etiam status integritatis, ad quem rursus quantum licet contendere debemus, in nobis, quantum hujus vitæ imbecillitas permittit, restauretur, cooperatio hæc nostra ad hunc renovationis statum & effectus, distinctis, quibus absolvatur, constat actibus. Cooperamur enim ad renovationem intellectus nostri, ut *ὁπρὸς τὰς* rerum divinarum, per novam mentis illustrationem, rursus in nobis actu relucere incipiat, *εἰς τὸ δοκιμάζειν, πὶ τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ τὸ ἀγαθόν, καὶ εὐάρεστον, καὶ ἡλεεινόν*, ad probandum, *quanam sit voluntas Dei bona, & acceptum & perfectum*, Rom. 12. 2. Ad justitiam & sanctitatem in voluntate, Eph. 4. 24. ut velimus ea quæ sancta & justa sunt, *ἀναλαμβάντες*, ut monet *Athanasius* Orat. V. contr. Arian. t. l. opp. f. 546. *τὸν νέον τὸν κατὰ Θεὸν κτισθέντα ἐν δικαιοσύνῃ, καὶ ὁμοίῳ τῆς ἁληθείας*, *resumentes novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia & sanctitate veritatis*. Ad appetituum & affectuum actualem determinationem ad persecutionem justii, recti atque sancti, fugam item mali; utq; membra nostra prompta sint ad edenda opera justitiæ, Rom. 6. 16. spirituque incedentes fructus ejusdem feramus, Gal. 5. 16. 22.

§. XII. Cæterum non secundum proprium beneplacitum, & rationem agendi sponte electam, cooperatio hæc instituenda est, sed secundum *normam* verbi divini, & *exemplar* Christi. Verbum Dei ut unica est & adæquata credendorum, sic & agendorum norma. *Lucerna pedibus nostris, & lumen semitæ nostræ*. Pl. 119. 105. *& quotquot super hoc canone inceant, pax erit super eos, & misericordia, & super Israelem Dei*, Gal. 6. 16. Egregie *Cyprianus* de habit. Virg. f. m. 152. *in scripturis sanctis, inquit, tam veteribus, quam etiam novis, frequenter & ubiq; disciplina præcipitur*. Et nonnullis interjectis addit f. 153. *Dat Christus vivendi morem, dat innocentie legem. Postquam contulit sanitatem, nec habenis liberis, & solutis, vagari postmodum patitur &c.* Credenda verbo Evangelij, agenda lege, ex scripturis Prophetarum & Apostolorum explicanda, continentur. In hac voluntas Dei justa & sancta habetur. Et uti Deus per Evangelij verbum bonos in nobis motus, in opera externa bona

exeuntes

executes, efficit, ita per legem eosdem dirigit, sic ut omnia opera
 quæ sunt, & dicuntur etiam bona, non nisi ab eius voluntate pen-
 deant, & juxta eam dirigi oporteat, Deut. 12. 8. 32. Numero-
 rum 15. 39. Esaj. 1. 12. explicante ex Chemnit. t. 3. Loc. c. 1. de B. O.
 & Gerharo, t. IV. Loc. §. 13. sqq. B. D. Carpzovio Isag. p. 267. Spe-
 culum lex est, in quo resplendet divina rectitudo, sanctitas &
 justitia, ad quam per novi hominis induitionem anima nostra
 conformari rursus debet, per lapsum Protoplastorum Satanæ ima-
 gine fœdissime corrupta, & larvata. In speculum ergo hoc in-
 tueamur necesse est, si exuta ista larva Diabolica novum homi-
 nem, ἢ χρὶ ὁὐ κηδέντα, recte induere velimus. Hic vero error
Pseudo-Apostolorum olim Christianos turbavit, in quotidiana
 renovatione non minus Ceremoniales, quam morales leges ur-
 gentium, notatorum hoc nomine à Paulo, Gal. 4, 9, 10. Phil.
 3, 2. Col. 2. 20.

§. XIII. Non ergo genuinæ regulæ locum novi homi-
 nis induendi habere possunt *Regula Monachorum*, perfectionis
 desiderium licet spirent, quod etiam originem Monachatus de-
 disse scribit *Bellarmin.* 2. de Monach. c. 5. Similiter nec media
 ad eandem perfectionem perveniendi, ceu divinitus non man-
 data, sed sponte electa, qualia sunt *paupertatis, continentie &*
obedientia vota, ita se habent, ut satis apta sint ad hunc finem,
 magnifice licet de illis differat, & statuatur *Hieronymus Platus*, de
 bon. stat. relig. c. 9. sqq. Ad hunc finem enim à Deo iussa & con-
 sulta esse, nondum est evictum. Certum nobis est, statum à
 Deo institutum, qualis est Ecclesiasticus, Politicus, & Oecono-
 micus, ad perfectionem, quæ renovatione etiam quæritur, plus
 conferre, quam id præstat status à Deo ne quidem consultus, nec
 suavis, de quo alibi. Conf. interim hoc nomine B. Dorsch. in Ju-
 dic. iniq. contra Mogunt. p. 12. sqq. *Hülseman.* in Man. Aug.
 Conf. disp. 17. §. 5. sqq. p. 580. *Carpzov.* Isag. p. 712. Fructum
 equidem religionis *Platus* l. c. l. i. c. 22. & hunc esse contendit,
 quod *multa alia spiritualia bona non nostro labore ac conatu ac-*
quirantur, sed ab ipso statu ultro nobis quasi in sinum congerantur.
 In horum genere prima esse, ait, *qualitatem illam cœlestem, quæ in*
anima inherens, novam ei vitam, novam essentiam ei tribuit di-
 C vina

vina similem. Verum ne de formula male sonante quid dicam, quando de *nova essentia* religiosi status encomiastes loquitur, certe spiritualia bona, si vere talia, & hoc nomine digna sunt, non ex statu religioso per se, nec ex eo solo proveniunt. Recte licet etiam negetur, ab adversariis multa gratiæ nomine celebrari, quæ tamen jure hoc nomine venire non possunt. Et cum thesi thesin hac vice tantum, quod attinet disputationem de præstantia & perfectione monasticæ, opponamus, negamus cum B. *Hülsemann.* Man. p. 592. *vota illa continentia, paupertatis, obedientiæ, magis prodesse, seu ad amovenda impedimenta perfectionis gradus, seu ad promovenda ejus incrementa, quam nullus à Deo institutus status prodest;* quo numero religiosum etiam statum contineri, frustra *Platus*, l. 2. c. 20. aliique contendunt, ceu sæpius à nostratibus ostensum. Videatur ex dissentientibus ipse *Polyaorus Virgilius* de rer. inv. l. 4. c. 13. l. 7. c. 1. sq. Ex nostris B. *Nicol. Hunnius*, Ap. R. E. p. 76. Multitudinem regularum quod attinet, ex qua *Platus* l. c. c. 25. insignem sibi pollicetur utilitatem, respondemus verbis *Jesaj.* 1. 12. *quis requisivit à manibus vestris;* & Christi *Matth.* 15. 9. *Frustra colunt me docentes, tali sc. modo, præcepta hominum.*

§. XIV. Rectius & perfectius exemplum, quod cooperando Spir. s. ad renovationem divinæ imaginis in nobis, imitemur, est *vita Christi*, in quo plenissimo & splendidissimo jubare eadem refulserat, ad imitandum nobis ab ipso Salvatore proposita, *Matth.* 11. 29. à Paulo commendata *Phil.* 2. 5. & *Petro* 1. Ep. 2. 21. Ex Patribus autem qua ratione eam debeamus imitari, eximie *Clemens Alexandrinus* *Pædag.* l. 1. c. 2. fol. 80. docuit: *Θεός, inquit, ἐστὶν ἀνθρώπου σχῆμα π, ἀχραντόν, ἡμῶν εἰκὼν ἀκροδί-
σωτόν* τὸ τὸ παρὶ θεοῦ περιεργίον ἑξομοιωθέν τῆς ψυχῆς, *Deus in figura hominis impollutus, hic nobis est imago, in qua nulla est macula. Ei omnibus viribus tentandum est, animam similem efficere.* Nec male *Origenes* *hom.* 7. in *Ezech.* *Nullum imitemur, & si volumus quempiam imitari, propositus est nobis ad imitandum Jesus Christus &c. illud exemplar forma est, illud propositum solidum, quod, qui sequi cupit, securus ingreditur.* Imitemur autem Christum in illis, & quoad illa, in quibus se ad imitandum proposuit; qualia

qualia non sunt opera theandrica, & opera officii, quæ solus præstitit, & præstare voluit, Esaj. 63. Ebr. 1. 3. vel etiam miraculosa, sed virtutum. Plus justo suis domesticis hypothefibus indulgens efferbuit hic *Cornel. à Lapide*, in *Comment. in 1. Pet. 2. notent*, inquit, *hoc molles heretici, qui fidem Christi sequi volunt, non passionis vestigia, dicentes solam fidem in Christum sufficere ad salutem: Christum pro nobis plane satisfecisse: Quare nulla esse bonorum operum merita, satisfactiones nullas. Audiant hi, quod hic intonat S. Petrus.* Non enim abnegamus vestigia passionis Christi, quatenus habent rationem virtutis; non vero sequi eadem possumus, & debemus, quatenus continent vim meriti, & habent rationem satisfactionis pro peccatis nostris, ut & nos pro peccatis satisfaciamus. Quæ meritoria & satisfactoria sunt in officio sacerdotali, quod soli Christo competit, non nisi Christi sunt; ut vero Christi exemplo crucem divinitus impositam patienter feramus, virtutis est. Bene *Gerhardus Com. in 1. Ep. Pet. 2. p. 3. 1. debemus*, inquit, *cum Christo pati, & per crucem ipsi conformari, Rom. 8. 29. non ad satisfactionis complementum, sed ad imitationis exemplum.* Quemadmodum & Christi *jejunium quadragesimale*, qua habet rationem miraculi, non ad imitandum proponi debet, exemplum temperantiæ licet in Christi facto nobis proponi non negemus, quod sequamur quoad genus, non quoad speciem, *Chemnit. Exam. P. IV. f. 89. 103. 113.* Ipse *Bellarmin. de amiss. grat. l. 5. c. 3. §. vera igitur, induere novum hominem* sic explicat, nostrum tractans locum, cum ita *vivimus Christi virtutes imitantes, ut Christus in conversatione nostra manifeste appareat, ut sicut portavimus imaginem terreni, ita portemus imaginem cælestis, 1. Cor. 15.* Item *l. 2. de Justif. c. 11. §. denique*, illos ait *novum hominem induere, qui pleni fide, & charitate, in omnibus operibus suis Christum imitantur, & ejus doctrinam, vitam, & mores exprimunt; nulla operum Christi miraculorum, vel aliorum, facta mentione.*

§. XV. Continuanda vero est hæc cooperatio. Significat enim participium *ἐκδύω* continuationem actus; cum vestimentorum induitio non uno actu momentaneo, sed actuum continuatione peragitur. Contendimus quoque induendo,

endo, ut nosmet imaginē Dei, & iustitia originali, quondam amissa, rursus exornemus, id quod successive fit, & per totam vitam se extendit. Nec improbamus verba quæ *Estius* habet in *Comment. ad nostr. l. f. 140.* cum *vetus homo*, inquit, *cum actibus suis exuitur, ac novus induitur, primo quidem in baptismo, quod est lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus s. Tit. 3. Deinde quotidiano profectu novitatis. Nam veterem hominem exuere totum, ut nihil restet vetustatis, non est hujus vite. Paulatim ergo vetus homo exuitur, novo proficiente.*

§. XVI. Cooperatio hæc etiam insignis pars est *Pœnitentiae quotidianæ*, ceu qua etiam novum hominem induimus, uti quotidie etiam induimus vestes, cum nuditatis tegendæ, cum corporis adversus injurias cœli muniendi gratia. *B. D. Aegid. Hunnius t. 1. opp. de L. Arb. f. 481.* sic de hoc loquitur: *In quotidiana pœnitentia homo jam conversus omnino agit, & spiritui s. cooperatur, id ipsum v. non ex propriis naturalibus viribus, sed ex donata Sp s. gratia.* Sunt enim, ceu in *diss. de convers. stant. §. 30.* prolixius docemus, objectum pœnitentiæ quotidianæ cum habituale concupiscentiæ originalis malum, ejusdemque reliquiæ, residuæ etiam in piis & sanctis, *Elaj. 64. 6. Rom. 7. 24.* per omnem vitam; tum motus ejusdem, etiam primo primi, & secundo primi, peccata item actualia, quotidiana, ex infirmitate, vel ignorantia etiam commissa. Adversus has veteris *Adami* reliquias renati, ad recuperationem imaginis divinæ, & iustitiæ originalis, pro viribus in hac qua vivimus imbecillitate, contendentes per quotidianæ renovationis exercitia, in quotidiano agone cum *Paulo* constituti sunt, *nec tamen plene in hac vita renovantur, cum vetus Adam credentibus usque ad extremum Spiritum adhereat. Cont. Form. Conc. p. 722. Quotidianam hinc invicem congressionem, carnis & Spiritus s. colluctationem in homine dari, recte monuit Cyprianus f. m. 235.*

§. XVII. Perversa est *Quietistarum* doctrina, quando, ceu *Actes de la condamnation des Quietistes, traduites de l'Italien, p. 10.* testantur, statuunt, quod *les mortifications corporelles, & la vie penitente ne convienne pas aux contemplatifs: la conversion doit plutôt commencer par la vie contemplative, que par la penitence.* Ex hoc enim quod contemplatio, quam vi-

am

am ad perfectionem, & consequenter novi hominis genuinam induitionem, hi homines fingunt, respuat mortificationem carnis, sic ut tradito Deo libero arbitrio, tentationum nulla amplius sit habenda ratio, sic ut resistentia eis fieri non debeat nisi negativa, nulla adhibita industria, oporteatque naturam, si commovetur, sinere quia est natura, uti habet Propos. XVII. Molinosi, ne in sua contemplatione orationi Quietis vacantes turbentur: Ex hoc, inquam, perverso agendi ordine patet, quod huic hominum generi, quantamcunque etiam Pietatis speciem præ se ferat, parum cum Paulo conveniat, qui Col. 3. capite, nostroque etiam loco, generalem Christianæ vitæ informationem tradens, veteris hominis depositionem primo omnium inculcat, v. 8. Rom. 6. 4. Eph. 4. 22. Qui etiam Rom. 7. 24. purgativam potius, quam internam illam contemplationis viam probat. Lavate vos, purificate vos, removete malitiam, ait Jehova Es. 1. 16. Gal. 5. 24. Et quando Esaj. 59, 2. dicitur: Iniquitates vestra fuerunt dividentes inter vos, & inter Deum vestrum; & peccata vestra abscondiderunt facies (ejus) à vobis, ut non audierit; manifestè docetur, appropinquantes ad Deum debere suæ conversionis initium facere plùtost par la penitence, que par la vie contemplative, potius per pœnitentiam, quam per vitam contemplativam. Licet vero hunc Quietistarum errorem sic notemus, notatum quoq; à Francisco Caccia, in Innoc. Apostol. seu vit. Innoc. XI. Pontif. Rom. c. 33. minime tamen probamus censuram Pontificiorum, vel eandem hic nostrum facimus, quando mortificationum harum, spiritum hominis disponentium, ut supra le motioni del senso, motus animæ sensitivæ se elevet, numero habent flagellationes, jejunium, Ecclesiasticum sc. quod sic vocant, prout describitur cum ab aliis, tum à Bellarmin. t. IV. opp. de Bon. Oper. l. r. c. r. sqq. Jejunium enim lascivie domitorium, ne ferociat adversus spiritum, & precum sit vehiculum, à nobis non damnari, notum est. Conf. Chemnit. Exam. C. T. P. f. Dannhavv. H. P. p. 871. sq.

§. XIX. Præterea uti Spiritu s. sanctificatrice & renovatrice gratia cooperante, & adjuvante, novum induimus hominem, ita precibus quotidianis exorandus est Pater noster cœlestis, Spiritum sanctum nobis dare velit secundum promissionem.

sionem Christi, Luc. 11. 13. quod *secundum spiritum ambulantes, spiritu Dei acti actiones corporis mortificemus*, Rom. 8. 13. sq. nec *concupiscentiam carnis perficiamus*, Gal. 5. 16. Hac Spiritus s. gratia uti per totam vitam indigemus, ita quamdiu vivimus eandem à Deo petere debemus, quo *magis abundemus*, 1. Thess. 4. 2. licet de hujusmodi oratione parum magnifice sentiat Quietistarum antesignamus *Molinos*, eidem suam orationem quietis longe præferens in *Manud. l. c. c. 12. n. 77. p. m. 103. Verissimum est*, inquit, *aufferre animæ orationem sensuum ac naturæ, rigorosum esse martyrium, sed dominus gaudet ac letatur in pace illa, cum ita est quieta & resignata*. Verum licet & nos doceamus, preces postulare cor fide purum, Psalm. 51. 12. Act. 15. 9. & devotum, h. e. explicante B. *Dannhavv. Hodol. p. 956. abstractum à se, & ab objectis externis, contritum, vigilans, Matth. 17. 25. temperans, 1. Petr. 4. 7. intelligens Rom. 12. 2. & attentum, & divinæ voluntati resignatum, Matth. 6. 10. c. 26. 39.* Ecstaticas tamen hujusmodi preces Christus nusquam, & nunquam docuit; nec illarum mentionem facit Paul. 1. Tim. 2. 1. Jubemur quidem *in spiritu & veritate* adorare, ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ προσκυνεῖν, Joh. 4. 24. sed inepte hæc detorquentur vel ad *Molinosi*, vel ad aliorum etiam *Mysticorum*, de quibus *Sandaus Theol. Myst. p. 68. sqq.* contemplationem ecstaticam, animæque quietem, non ab omni entusiasmo immunem. Quid autem sit *adorare in spiritu & veritate*, bene explicat D. *Agid. Hunn. in Com. f. 700.* Nimirum *ex spiritu & veritate proficisci oratio* dicitur, *si serio & ex corde fit, ut & Spiritus s. (qui spiritus gratiæ & precum est, Zach. 12.) preces illas excitet, & spiritum simul, seu mentem adorantium, ad seriam invocationem inflammet*: Quæ simplicior est interpretatio illâ, quam dedit *Maldonatus Com. h. l.* Patet hinc quid habendum sit de *Molinosi* disciplina, quando l. c. sic pergit: *Eo tempore, quo sc. anima sic est ecstatische resignata, non utaris oratione vocali, quoniam quantumvis etiam bona in se sit ac sancta, manifestum tamen est, esse tentationem, si tunc usurpetur; ac querit per eam inimicus, ut Deus ad cor non loquatur, sub pretextu, quod sensus tui non afficiantur, ac tempus perdas*: Ἄγασθ' enim eadem, & ἀπίστου est. Matth. 6. 6. sqq. Aliter Christus orare docuit, aliter suo exemplo præivit, Matth. 26. 39. Joh. 17. 1.

DE
INDUITIONE
NOVI HOMINIS,

Ex Col. 3. 10.

DEO bene volente,

In inclyta Argentoratensium Academia,

TERTIA VICE

PRÆSIDE

DN. JOHANNNE JOACHIMO
ZENTGRAVIO,

SS. Theol. D. & P. P. Capit. Thoman. Canonico, &
Ecclesiaste, Facult. Theol. h. t. Decano,

*Domino Patrono, Fautore, & Præceptore suo, pio
honoris, obsequij & observantia cultu prosequendo,*

respondebit

JOHANNES IMMANUEL FRANCK,
Francus.

d. Maji hor. locoque solit.

ARGENTORATI,
Literis JOHANNIS PASTORII. 1701.

angeb. 6,
uw. 6

INDULGENTIAE

NOVI HOMINIS

EX COL. 3. 100.

Deo bene volumus

in multis beneficiis

TRIN

RESIDE

DI. JOHANNES BAPTISTA

ZENITARIO

22. Theobaldus

Domino Petro

JOHANNES BAPTISTA

L. 100.

Line JOHANNIS BAPTISTA

De
INDUITIONE NOVI
HOMINIS,

ex Coloss. III. 10.

TERTIA PARS,

§. I.



¶ Eterum ut in viam redeamus, docemus ulterius, quod sic novum hominem induentes, & Spiritui sancto ad renovationem cooperantes, non ipsam hoc nomine immutemus substantiam. Immutamur equidem, sed non per novæ substantiæ acquisitionem, verum ut cum B. Hülsemanno Brev. 12. §. 6. iterum loquamur, per deprivationem ejus, quod intellectus, voluntas & appetitus naturaliter concipiunt, eligunt & appetunt, menti & voluntati divina adversum: Et perfecta conformatione omnium facultatum & actionum cum norma legis. Non vero actualiter tantum, & ratione exercitij, sed etiam habitualiter, & ratione internæ dispositionis, quod hoc intelligi debeat, B. noster Lutherus Catech. Major. p. 548. monuit: *Ita enim fieri necesse est, ut subinde veteris Adami sordes repurgentur, atq; eluantur, ut novi hominis nitore & forma prodeat.* Et nonnullis interjectis, cum quid *vetus homo* sit, declarasset, *in Christi regnum*, pergit, *delati, vitiis quotidie decrescendum est, ut subinde magis atq; magis mitiores, liberaliores, patientiores, mansuetiores fiamus, semper aliquid avaritiæ, odio, invidentiæ, superbiæ, atq; id genus vitiis detrahentes.* Nullam autem ipsius substantiæ, & sic non substantialem immutationem inferre correctionem hanc, cum res ipsa docet, tum vox ενδουμένους confirmat. Non enim in vestem novam, quam induimus, veteri exuta immutamur, arctissime & tenacissime licet adjaceat; uti nec quando fœdissima vestis fœdissimi etiam, imò purulenti corporis, quod tegebat, exuitur, ipsa substantia deponitur: sed qualitates & sordes veteris Adami

A

mi deponere, qualitates autem justitiam originalem referentes, recuperare & induere, Spiritus sancti ornatrice & renovatrice gratia adjuti, laboramus. Conf. B. D. *Sebast. Schmid. de Imag. p. 258.* Pertinet huc simile B. *Ambrosij* ab aquila desumptum, qui retinens substantiam, *depositis antiquitatis exuviis rediviva indumentorum nativitate se vestit.* Sic enim inquit, *Neophyti mei nuper baptizati, tanquam aquile, depositis vetustatis exuviis, nova sanctitatis indumenta sumserunt, & fatiscentibus antiquis maculis plumis levibus rediviva gratia immortalitatis ornantur, &c.* Serm. 54. Relinquitur etiam, formam renovationis non tantum in externorum operum mutatione consistere, quam interne etiam, & sic per internam etiam in mente mutationem, eo quo diximus modo, fieri contendimus, per internam sanctitatis inspirationem, verbi beneficio, non enthusiastica aliqua ratione factam, & secundum verbi divini normam, non deliria domestica, superstitiose & hypocritice, pharisaico more peragendam. *Aliud enim, eximiè explicante B. D. Wellero Com. in Rom. 6. 4. p. 372. est regeneratum & renovatum esse, aliud spiritu mortificare peccata carnis, quod externa quoque denotat facta. Spiritu ambulantes negantur carnis perficere desideria. Gal. 5. 16. 19.*

§. II. Effectus hujus induitionis *active & cooperative* est *novi hominis induitio passiva*, uti induitionis *active*, qua vestimentum induimus, effectus est ejusdem induitio *passiva*, per quam illud etiam indutum dicitur. Homo est subjectum induens, vestimentum vero est id quod induitur; diciturque indutum illud ab induitione *passiva*, per quam corpori sic applicatum fuit, ut indutum dici queat. Cum vero ex supra dictis constet, per novum hominem intelligi à Paulo statum *pristinæ integritatis*, non sub ratione status *præcise*, sed quatenus ille cum justitiam originalem habitualement, quæ summa sapientiæ, justitiæ & sanctitatis perfectione absolvitur, in qua primus homo quondam ad imaginem Dei conditus fuit, quæ & ipsam Dei imaginem, phrasi biblica quid sit, dicendo, constituit; tum ab originali justitia *provenientem actualem*, & bonorum operum studium atque exercitium complectitur; recte hinc infertur, quod effectus induitionis hujus, quam hactenus consideravimus, sit recuperatio status hujus integritatis, atque

atque summæ, quam illa complectitur, sapientiæ, justitiæ & sanctitatis, & inde provenientis justitiæ actualis. Induimus proin novum hominem, si in pristinæ integritatis, & justitiæ statum restituimur, quem quotidiana renovatione consequimur, Imperfecte licet hac in vita, 1. Theff. 4. 1.

§. III. Quamquam vero hæc ita recte dicantur, nil tamen impedit, quo minus distinctius doctrinam hanc explicaturi dicamus, effectum induitionis hujus esse vel *remotum*, vel *proximum*. Hunc, quem & *immediatum* liceat appellare, esse recuperationem & receptionem pristinæ integritatis ratione intellectus, voluntatis, & appetitus. Ratione istius, dum pulsus errorum tenebris ex intellectu Eph. 4. 17. recipitur primo homini olim quidem concreata, sed in eodem rursus amissa ἐπιγνώσις, atque sapientia, Col. 3. 10. Eph. 4. 23. Ratione illius vero, dum in eadem amissa sanctitas & justitia restauratur, Eph. 4. 24. Ratione hujus denique, ut spiritu viventes, ejus non destituamur fructibus, quales sunt *dilectio, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, beneficentia, fides, mansuetudo, temperantia, carnem crucifigentes cum passionibus & concupiscentiis*, Gal. 5. 22. sqq. Non male *Basilus* t. I. opp. Comm. in Jes. f. 641. quid, inquit, *emolumentum adfert egroto cura Medici, quando is, qui adversa valetudine conflictatur, suæ vitæ exitalia conquirat? Sic ex culpis condonatis nihil accedit utilitatis ei, qui ad iniquitates & offendicula rediit. Ex remissis intemperantiæ flagitiis nihil lucri in eum resilit, qui adhuc in iisdem versatur lascivie vitiiis. Quo igitur pacto anima à peccatis absolvitur? Quum in ipsa virtus invaluerit, suisq; sermonibus eam integre & solide confirmarit, ac traduxerit ad effectum oppositum malitiæ: ita ut oblata ei occasione aliena extorquendi, ultro se animus concitet ad obtinendum sui equalis honorem.* Effectum autem induitionis hujus *remotum*, atque *mediatum*, dicimus esse bona opera externa, in quæ virtutes exeunt. Bona enim arbor, qualis est renovatus, & qui novum induit hominem, etiam bonos fert fructus, Matth. 12. 33. 35. bona sc. opera, quæ & fructus spiritus, quo ambulat, audiunt, Gal. 5. 22. Sequitur hinc, quod bona opera etiam ex qualitate hominis regeniti nobis necessaria sint, &

quod renovatus habitu virtutum quotidie proficere, μάλλον πει-
σεύειν debeat, 1. Theff. 4. 1. add. *Hülsem.* Brev. c. 12. §. 7. De Pa-
dagogo Christiano ait *Clemens Alexandrinus* l. 1. Pæd. c. 1. f. 78.
quod sit πρακτικὸς ἔ μεθοδικὸς, in actione, non in tradenda discipli-
na ratione, (potissimum sc.) versatus. Addit: ἢ καὶ τὸ τέλος αὐτῆς
βελτιῶσαι τὴν ψυχὴν ὅτιν, ἔ διδάξαι, quatenus ejus quoque finis est a-
nimam meliorem reddere, non docere. Absit Gentilibus redda-
mur similes. De quibus idem *Clemens* Admon. f. 41. monuit,
quod ἀρετῆς μὲν θεαταὶ, κακίας δὲ ἀγωνισταὶ γεγνημένοι, quod vir-
tutis quidem effecti sint contemplatores, vitij autem athlete. Ma-
net ergo, bona opera renatis necessaria esse, etsi non ad salutem.

§. IV. Manet vero hæc induitio imperfecta, sive de in-
duitionis actu, sive de induitionis statu sermo nobis sit. Audi
Augustinum t. 7. Opp. de Nat. & Grat. c. 36. f. 747. ita contra
Pelag. disputantem: Si omnes sanctos & sanctas cum hic viverent,
congregare possemus, & interrogare, utrum essent sine peccato, quid
fuisse responsuros putamus? Utrum hoc, quod iste dicit, an quod Jo-
hannes Apostolus? Rogo vos quantalibet fuerint in hoc corpore
excellencia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, una voce cla-
massent: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos se-
ducimus, & veritas in nobis non est. Induitionis enim actum,
quo ad renovationem cooperamur, quod attinet, licet actus hi,
quibus ad renovationem quotidie cooperando novum hominem
induimus, ex gratia Spir. s. sanctificatrice & renovatrice, ex viri-
bus dativis, & motibus divinis etiam à nobis peragantur, imper-
fecti tamen manent ob subjecti induentis imperfectionem, in
quo peccatum adhuc habitat, Rom. 7. 7. 18. 20. illudque capti-
vando, Rom. 7. 23. imperium affectat, Rom. 6. 12. affluente hinc
prava concupiscentia, cujus venenato affluxu actus induitionis,
in quantum à nobis sunt, ita inficiuntur, ut nostro hoc vitio
atque fœditate omnis nostra justitia fiat, non ut vestimentum,
quo induti sumus, novum, sed ut fœdum, immundum, sicut
vestis menstruarum, Esaj. 64. 5. Quemadmodum itaque si ma-
nibus impuris, à quibus fordes defluunt, quibus istæ inquinan-
tur, vestimentum induitur, nec hoc à sordibus istis immune
manet; sic novus homo ad quem induendum tendimus, semper ali-

ali-

aliquid vetustatis peccaminosæ contrahit, ex imperfectione, & residua vetustate actuum, quibus hæc induitio à nobis peragitur. *Christiani hominis est*, inquit *Optatus Milevit. l. 2. adv. Donat. p. 62. quod bonum est velle, & in Deo, quod bene voluerit currere; sed homini non est datum perficere: ut post spacia, quæ debet homo implere, restet aliquid Deo, ubi deficienti succurrat, quia ipse solus est perfectio, & perfectus solus Dei filius Christus.* Et quamquam renati viribus divinis adjuti agant, & ad ulteriorem indies contendat renovationis suæ perfectionem, *μᾶλλον προωρῶσθε*; sciendum tamen, quod Deus hic certa virium concessarum mensura, ordinata item potentia, non absoluta, nec omnibus suæ omnipotentiae viribus agat, & agere velit, petentibusq; omnimodam liberationem ab infirmitatibus perfectionem impredientibus respondeat: *Ἀρκεῖ σοι ἡ χάρις μου ἢ γὰρ δύναμις μου ἐν ἀδυναμίᾳ τελειῶται*, sufficiat Tibi gratia mea; nam virtus mea in infirmitate perficitur, 2. Cor. 12.9. *Intensio itaque, sive perfectio hujus renovationis, seu pro actione, seu pro actu, seu pro habitu sumatur, neque est, neque ex ordinatione Dei tanta esse debet in hac mortali vita, quanta ex rigore legis: Diliges Deum tuum ex toto corde, &c. esse debebat; ceu contra Bellarmin. 4. de Justif. 20. Smalc. disp. 6. contra Franz. f. 4. Arminian. Apol. c. 11. & Weigel. P. I. Postil. p. 173. P. III. p. 16. disputat B. Hülfemann. Brev. suppl. c. 12. §. 4. Infertur vero hinc præterea, etiam induitionis novi hominis statum hac in vita manere imperfectum, ceu Pauli exemplo patet, flebiliter hoc nomine ejulantis, & melioris fortis statum expetentis, Rom. 7. 24. *ταλαιπώρος ἐγὼ ἄνθρωπος, τίς με ῥύσεται ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου, miser ego homo, quis me eripiet è corpore mortis hujus?* quæ locum peculiari dissertatione etiam illustravimus. Cum enim effectus nobilior & perfectior causa esse non possit; sane si actus hominis renati, etiam carnem cum concupiscentiis crucifigentis, imperfecti manent, nec perfecta renovatio, vel novi hominis induitio illis sic obtinebitur, ut in statu perfectionis simus constituti. Quod enim non est in causa, nescit quoque esse in effectu: Non quidem, ceu jam notatum, ex impotentia Dei renovantis, sed incapacitate ho-*

A 3 minis

minis actionem Dei recipientis; Dei etiam ordinate, non ex infinitudine omnipotentiae, & virium suarum, agere volentis, praevisa hominum incapacitate per lapsum contrahenda, & sic disponentis, ne perfecta legis observatio homini in hac vita possibilis esset, Gal. 3. 17. 21. sq. Conf. Hülfem. Brev. c. 12. 8. suppl. §. 4. Manet ergo status restitutionis hac in vita imperfectus, ita ut novus homo non secundum totum, sed secundum partem induatur, & restitutio pro iam amissi status integritatis, & justitiae originalis, in hac vita tantum incipiat, non vero penitus perficiatur; sic ut semper de utroque, & de veteri, & de novo homine aliquid participemus, ita ut id quod de isto in nobis superest, quotidie nobis exuendum, quoad hunc vero, id quod adhuc nobis deest, quotidie induendum sit. vid. B. Seb. Schmid. de Imag. p. 258. Et hoc etiam volunt participia ἀπεκδυσάμενοι, & ἐνδυσάμενοι, Col. 3. 9. 10. continuationem nimirum quandam horum actuum, exuitionis sc. & induitionis; ibi veteris, hic novi hominis, quae tamen hac in vita non absolvitur, de qua etiam Apostolus 1. Thess. 4. 1. Imò tantum abest ut absolvatur, ut ne quidem ad gradum perfectioni proximum homo, viribus dativis ordinariis adjutus, pervenire possit. Quae Pet. Ribaden. l. 1. c. 6. vit. Ignat. refert, sic dicuntur quidem, sed non statim fidem ideò inveniunt, quia Ribaden. dixit. Patet hinc quid de Sociniani Smalzij glossa habendum sit, contendentis, Apostolum volentem indui plane novum hominem, precipere rem possibilem: Falsum nimirum id esse, quod de totali novi hominis induitione, ceu in hac vita renatis possibili, nostro loco agat D. Paulus, cum Rom. 7. 18. scripserit, quod non inveniat bonum: Licet interea Christiani hominis officium id à nobis requirat, ut contendamus pro viribus, quo usque auxilio Spiritus sancti progredi nobis licuerit, pie hoc nomine monente Gregorio Nysseno t. III. opp. f. 445. ἡμᾶς μεταμορφούμενους τῇ ἀνακαμνήσει τῶ νοῦς ἡμῶν, καὶ τὸ παλαιὸν ἄνθρωπον ἐποδυόμενους, καὶ τῆς θείας εἰκόνος ἵν᾽ ὁμοίωσιν καὶ τὸ ἐφικτὸν ἀνθρώποις ἐν ἑαυτοῖς ἀειφύροντας, ὥτως ἐν ταῖς σωτηρίαις καὶ πνευματικαῖς ἀπαντᾷν ἑορταῖς, ut nos renovatione mentis & animi nostri nosmet ipsos transformantes, & veterem hominem deponentes, & quoad homines id assequi possunt, divinae imaginis similitudinem in nobis circumferentes,

rentes, atq; gestantes, ita tandem in salutaribus, & spiritualibus diebus festis prodeamus, & conveniamus. Nuditas vero nostra quum per induitionem novi hominis in hac vita penitus eam non tegimus, tegi eadem debet per justitiam Christi fide apprehensam, quæ à Deo nobis in nostram imputatur justitiam. Esaj. 61.10. Add. B. *Dannh.* in Panegyri. Uran. Conc. 34. p. m. 543. sqq.

§. V. Si historiam Ecclesiasticam evolvimus, controversiam de perfecta & totali induitione novi hominis, non recentem esse cognoscemus. Non de *γνώσεις* Valentinianorum ea repetam, quæ in diff. de Renov. nov. hom. §. 22. dicta sunt. Id plane Diabolicum fuit, quod impurissimi & fœdissimi hæretici, *Carpocratiani* dicti, sanctitatem quandam in cœno scelerum nefandissimorum, cui penitus immergi erant, præ se ferentes, ne ipso Sancto sanctorum inferiores esse voluerint, se nihil à Christo differre jactantes. Sic enim apud *Irenæum*, pium Martyrem, & præcepti de non dicendo falso adversus proximum testimonio, utique memorem, l. 1. c. 24. f. 122. statuerunt scelerati, *eam animam, quæ similiter atque illa anima Jesu, potest contemnere mundi fabricatores archontas, similiter accipere virtutes ad operandum similia. Quapropter & ad tantum elationis proveci sunt, ut quidam quidem similes se esse dicant Jesu: quidam autem adhuc, & secundum aliquid illo fortiores, qui sunt distantes amplius, quam illius discipuli, ut puta quam Petrus, & Paulus, & reliqui Apostoli. Hos autem in nullo deminorari à Jesu. Rursus: Si quis autem plus quam ille (Jesus) contemserit ea, quæ sunt hic, posse meliorem quam illum esse. Eadem tradit Epiphanius hæres. 27. f. m. 103. Ita delirarunt hæc monstra hominum de summa animæ perfectione, in fœdissimorum scelerum pudendo exercitio. Surculus horum *Adamiani*, se in statu integritatis versari lomniantes, quo extra pravam concupiscentiam se positos probarent, turpiter *Adami in Paradiso nuditatem*, quæ fuit ante peccatum, imitari non erubuerunt. Nudi enim, memorante *Augustino* de hæres. c. 31. mares, fœminæque convenientes, nudi lectiones audientes, nudi orantes, nudi celebrarunt sacramenta. Et ex hoc paradisum suam arbitrati sunt Ecclesiam. Non equidem tanti est *Arnoldo* Hist. Eccles. P. I. l. 2. c. 4. §. 15. f. 68. autori-*

autori-

autoritas B. *Augustini*, ut ejus narrationem credere potius, quam de ea dubitare malit; qui iisdem etiam rationibus æque feliciter narrata de Carpocrate impugnarit, quibus impugnatum ivit ea, quæ de Adamianis referuntur.

§. VI. Invenit equidem *Valentinus*, hæreticus, suos Patronos, in Germania *Gotofred. Arnold* in Hist. Eccles. P. I. l. 2. 4. 17. in Gallia vero quendam *Anonymum*, autorem *des Eclaircissements sur la Doctrine, & sur l'histoire Ecclesiastiq. des deux premiers siècles*. Neuter vero illorum evincet, *Valentinum* plus justo sibi non placuisse, jactando perfectionem. Σύγγραφον & fere ejusdem B. *Irenæus*, cui ut *Arnoldus* officiat nimis est hesternus, contra Hæret. l. 1. f. m. 27. c. 1. deliria *Valentini* enarrans, etiam refert, quomodo sibi suisque perfectionem tribuens, se φύσει πνευματικὸς εἶναι naturaliter spirituales esse dixerit. Verba S. Martyris, prout ab *Epiphanio* t. 2. hæret. 31. f. 189. referuntur, ita habent: Ἄυτὸς μὴ διὰ πράξεως, ἀλλὰ διὰ τὸ φύσει πνευματικὸς εἶναι, πάντα τε καὶ πάντως σωθῆσεσθαι δογματίζουσι *Valentiniani*. Ὡς γὰρ τὸ χοϊκὸν ἀδύνατον σωθείας μεταχειρῖν (εἰ γὰρ εἶναι λέγουσιν αὐτοὶ δεκτικὸν αὐτῆς), ἕτως πάλιν τὸ πνευματικὸν θέλουσιν οἱ αὐτοὶ εἶναι ἀδύνατον φθορῆν κατὰδέξασθαι, εἰὰν ὁποῖαις συγκαταγίνονται πράξεσιν, se non ullius actionis beneficio, sed quod natura spirituales sint, omnino salutis compotes fore confidunt. Nam uti quod terrenum est, servari nullo modo potest, neq; natura ad id idoneum est, sic contra quod est spirituale, cujusmodi se esse volunt, utcunque sese gesserint, corrumpi nequaquam posse. Hoc sic explicatum iverunt interprete antiquo *Irenæi* *Metaphraste*: Nimirum quemadmodum aurum in cæno depositum non amittit decorem suum, sed suam naturam custodit, cum cænum nihil auro nocere possit: sic & semetipsos dicunt, licet in quibuscunque materialibus operibus sint, nihil semetipsos noceri, neque amittere spirituales substantiam. Nil hic contra mentem suam tribui ab *Irenæo* *Valentino* jure dixerit *Arnoldus*, nisi & *Tertullianum* suum, qui eadem hæretico huic objicit; in l. contra *Valentin.* f. m. 396. sqq. in ruborem dare voluerit. Egregij vero spirituales, qui sua spiritualitate & perfectione integra in omni scelerum cæno se volutare non dubitant, veterem & novum hominem simul induturi. Nequitia

quitiæ perfectionem rectius, quam perfectam novi hominis induitionem, contra Pauli mentem, portentosam hanc Theologiam moralem tales tradere, jure quis dixerit; superbiat licet disciplina Theodoti cujusdam, Pauli familiaris, quem Valentinum audivisse asseclæ nugantur, de quo *Clemens Alexandrin.* l. 7. Strom. f. 764.

§. VII. Seculum hoc post N. C. secundum, quo impostor Valentinus monstrosa hac novi hominis induitione, & perfectione sibi placuit, eo etiam potissimum nomine insigne est, quod in eo deprehendantur germinantia jam seminia studij hujusmodi perfectionis, quod neglectis illis quæ à Deo præcepta sunt, talia elegit, quæ à Deo minime postulata fuerant, sed sponte assumta, ex majoris perfectionis opinione, sæpe non absque Numinis tentatione, interno fastu, atque φιλαυτία, obstetricante simplicitatis Christianæ contentu, idem notante & monente etiam B. *Dannhauv.* in *Christeid.* p. 470. & B. *Bebelio* *Antiquit. trisecul.* p. 373. sq. Sane non abs re censetur, quod cum Carpocratiani, Valentiniani, cæterique impuri Gnostici, ad notam inurendam Christiano nomini, sub perfectionis nomine ad alterum, fœditatis nimirum extremum essent prolapsi, alii ad alterum, hypocrisicos nimirum, & Pharisaismi extremum processerint, secundum illud πολυδρήλητον: *Dum fugiunt stulti vitia, in contraria currunt;* uti Encratitæ & Montanistæ fecerunt. Carpocratianos enim quod attinet, quorum turpitudines, ex scriptoribus Ecclesiasticis complexas, exhibet *Baronius* t. 2. *Annal.* ad ann. Chr. 120. f. m. 68. uti nefariis suis sceleribus, Christianam perfectionem præ se ferendo, Christianorum nomen apud Gentes invisum & exosum reddere laborarunt, notantibus *Irenæo* l. 1. c. 24. & *Epiphan.* hæc. 27. jactantes se *habere potestatem operandi omnia, quæcunque sunt irreligiosa & impia,* indifferentia in se illis visa: Quam & Valentini monstrosam perfectionem, in Christiani nominis opprobrium & dedecus excogitatam, esse vidimus: Ita ab altera parte melioris, ut videri volebant, perfectionis autores Sanctuli, à recta orbita fastidio genuinæ, ab Apostolo traditæ perfectionis, dilapsi, ex non peccatis fecerunt peccata. Talis

B fuit

fuit *Tatianus*, Iustini Martyris discipulus, qui pietate superaturus Magistrum, de cuius pio zelo pro re Christiana satis testantur Apologiae ejusdem, *presumptione elatus & inflatus*, ut loquitur *B. Irenaeus* l. 1. c. 31. *Euseb.* 4. H. E. c. 27. pharisaicoq; fastu majorem praese ferens perfectionem, sanctioris, ut videri volebat, Encratitarum sectae autor extitit, Montanistis praeludens, & Novatianae hypocriseos fundamenta prima jaciens. Cum enim audivisset *Iustinum Martyrem* non improbare, sed laudare potius, ὅτι πολλοί πνεῦς καὶ πολλαὶ, uti loquitur Apolog. II. f. m. 62. ἐξηκοσὶν ἔτη, καὶ ἑξήκοντα ἔτη, οἱ ἐκ παιδῶν ἐμαθὴν ἐν δυνάμει τοῦ Χριστοῦ, ἀφ' ὧν διαμείνουσι, εὐχόμενοι καὶ πάντων γένεσθαι ἀνδράπων λογίους δεῖξαι, quod multi sexus utriusque, & sexaginta & septuaginta nati annos, qui à pueris disciplinam Christi sunt affectati, incorrupti & caelibes perdurent, & ipsius ætate tales perduraverant, precatus, quod per omne genus hominum tales monstrare possit; ab his primis ἐδελοθησικίας, merito divino cætera viro condonandæ, initiis ulterius defuncto martyre, cuius metu & reverentia coercebatur, progressus homo impius, & Pietaster, nuptias ipsas damnavit, omnino pares eas faciens fornicationibus, aliisque corruptionibus, memorante *B. Augustino* de hæc. c. 28. postmodum licet monogamiam suis etsi ægre permiserit, propter liberorum procreationem, & domus curam gerendam, εἰς ἣν βοηθὸς ἐδέσθη ἡ γυνὴ, ad quam data est mulier adiutrix, observante *Clemente Alexandr.* 3. Strom. f. 461. Non etiam carnibus vescabantur, quas omnes abominabantur Encratitæ, ceu refert ulterius *B. Augustinus* l. c. Quem errorem Tatianum, virum Philosophiæ gentilis peritissimum, à Pythagoræis desumpsisse non abs re creditur.

§. VIII. Placuerat eximie pharisaica & hypocritica hæc Pietas, ejusq; *Perfectio*, etiam *Montanistis*, quorum sectam, ceu sobolem viperinam, ex colluvie Encratitarum provenisse, in *disquis. de lapsu Tertullian. ad Montanistas*, ulterius Deo annuente, docebitur. Mitigatum, sive correctum aliqua ex parte *Tatianismum* non absque ratione *Montanismum* quis vocaverit. Subtilior quippe *Montani*, quam *Tatiani* fuerat hypocrisis. Cum enim hic, ceu viam, & medium ad perfectionem com-
menda-

mendaret abstinentiam à nuptiis, carnibus omnibus, & vino; ille ὁμοίωσιν τῷ Θεῷ assimilationem cum Deo urgens, ciborum & potus delectum, disciplinæ necessariæ causâ ibat commendatum, *ὑπερείας νομοθεήσας*, jejunia certis legibus definiens, contra Pauli doctrinam, Col. 2. & libertatem Christianam. Conf. *Apollonium* apud *Euseb. H. E. 5. 17.* De quo alibi. *Novatianorum* vero superbiam, & quam jactaverant hi perfectionem, inde quis conjecerit, quod & *Catharos* se appellaverint magna arrogantia, propter mundiciem, *Augustin. de hær. c. 38.* adeoque renovationis in hac vita perfectionem, quam dari docebant: Quo nomine etiam *Cyprianus* 2. Epist. 8. *Novatum*, ceu arrogantia & stupore superbi tumoris inflatum, accusavit. Scio equidem *Gotofr. Arnold.* in *Hist. hær. P. I. l. 3. c. 7. n. 3. & 14.* non solum de *Cypriani* judicio, & relationibus controversiam hanc concernentibus, parum magnifice sentire, sed & *Novatianos* ipsos ob *Catharorum* nomen excusare, nisi meris conjecturis, quæ tamen pari facilitate rejici possunt, qua afferuntur, cum non aliunde proveniant, quam ex animo melius cupienti *Novato* & *Novatianis*, quos rigore suo Christianismum eximie promovisse credit, & passim à pietate laudat, quam *Cypriano*, gratiæ divinæ erga lapsos assertori.

§. IX. Addimus his *Perfectistis* atque *Pietastris*, aliis omnibus, *Pelagianos*. Autor enim de illis *B. Augustinus* est, qui intime illorum cognovit impietatem, de hær. c. 88. quod dixerint, vitam justorum in hoc seculo nullum omnino habere peccatum, & ex his Ecclesiam Christi in hac mortalitate perfici, ut sit omnino sine macula & ruga; quasi non sit Christi Ecclesia, quæ in toto terrarum orbe clamat ad Deum; dimitte nobis debita nostra. Fructus doctrinæ hujus erat cum *Hypocrisis*, qua multis, etiam magnis Ecclesiæ doctoribus, *Augustino*, *Chrysostomo* sic *Pelagius* imposuerat, ut prævalente judicio charitatis, bene de illo judicarent, ejusq; etiam magna existimatio ab initio in Evangelio foret, *Gerh. Johan. Vossio* etiam *Theol. Disp. 29. de Pelagianis.* de neces. grat. P. I. p. m. 437. notante, quod fuerit homo ingeniosus, & pietatis nomine multis carus, serio hoc nomine defensus ab *Arnoldo*, *Hist. hær. P. I. l. 5. c. 5. n. 1. sqq.* tum fi-

ēta hęc *perfectio*. Cum enim naturę viribus plus justo tribuerit Pelagius, negans peccatum Adę ipsum genus humanum læsisse, contendendo l. 1. pro lib. arb. apud *Augustin.* de peccat. orig. contra Pelag. & Cœlest. l. 2. c. 13. t. 7. Opp. t. 793. *omne bonum ac malum, quo vel laudabiles vel vituperabiles sumus, non nobiscum oriri, sed agi à nobis. Capaces enim utriusque, non plenos nasci: Et ut sine virtute, ita sine vitio nasci: mirum non est, docuisse eundem etiam, hominem legem divinam implere posse. Unde B. Hilarius ad Augustin. Epist. t. 2. opp. Aug. Ep. 88. docent quidam, scribit, posse esse hominem sine peccato, & mandata Dei facile custodire, si velit. Infantem non baptizatum morte preventum non posse perire merito, quoniam sine peccato nascitur.* Tam periculosa est doctrina de statu hominis erronea. Ubi enim in statu institutionis & destitutionis explicando fuit erratum, errore errorem protrudente, non mirum est, etiam statum restitutionis perverse tradi. Satis vero frigide sic Pelagium it excusatum *Arnoldus* l. c. f. 242. n. 6. fingens errorem hominis, quem concedit, *ex bona quadam intentione profectum esse, auß einem wohlgemeinten Absicht; conjuncta nimirum, ut tota docet historia certaminis hujus Pelagiani, vel cum ignorantia inexcusabili, vel, quod melius creditur, cum malitiosa hypocrisi, & pudendo Pharisaismo, gratiæ divinæ inimico. Rectius & zelo vere Paulino B. Augustinus Epist. 89. respondit Hilario ad q. 11. Illud vero quod dicunt, Pelagiani, sive Cœlestius & affectæ, sufficere homini liberum arbitrium ad dominica præcepta implenda, etiamsi Dei gratia, & Sp. s. dono ad opera bona non adjuvetur, omnino anathematizandum est, & omnibus execrationibus detestandum.*

§. X. Sane cum nuper anno Domini 1700. d. 1. Julii *Facultas Theologica Parisiensis*, decreto in Collegio Sorbonæ factō, censuram in se suscepisset librorum Gallico sermone scriptorum, & typis editorum sub his titulis: *Nouveaux memoires sur l'état present de la Chine, imprimez à Paris chez Jean Anison en 1696. & en 1697. Item Histoire de l'Edit de l'Empereur de la Chine, imprimée par le même Jean Anison en 1698. Et Lettre sur les Ceremonies de la Chine, imprimée à Liege, chez Daniel*

Daniel Moumal en 1700.: inter alias propositiones inde excerptas, & pluribus hoc nomine institutis congregationibus examinatas, deniq; d. 18. mensis Octobris damnatas, illis quæ III. loco positæ erant, & Gentilismo Sinensi, & sic viribus naturalibus plus justo tribuerant, non dubitavit hanc *Censuram*, qua summa illorum repetitur, opponere: *Doctrina his propositionibus contenta, nempe Moralis disciplinæ puritatem, morum sanctitatem, fidem, cultum Dei veri internum & externum, sacerdotes, sacrificia, sanctos, ac homines inspiratos à Deo, miracula, spiritum religionis, purissimam charitatem, quæ religionis est perfectio & character, & si ausim dicere, inquit Autor, Spiritum Dei apud Sinas olim per duo annorum milia, vel amplius permanisse, falsa est, temeraria, scandalosa, impia, verbo Dei contraria, heretica, Christiana fidei, & religionis eversiva, virtutem passionis Christi & crucis ejus evacuans.* Conf. *Censur. de la Faculté de Theologie de Paris, contre des propositions tirées des livres intitulez: Nouveaux memoires &c.* Utique religione Christiana indignum est, Gentilibus, hominibus irrogenitis, ex se tanquam ex se ineptis ad boni quid cogitandum & faciendum, 2. Cor. 3. tribuere perfectionem, quam apud Christianos tantum, in quo consistat, invenias & cognoscas. Unde non absque ratione etiam eadem *Facultas Theologica* I. propositionem, quæ sic habet: *Le Peuple de la Chine a conservé pres de deux mil'ans la connoissance du veritable Dieu, & l'honoré d'une maniere, qui peut servir d'exemple, & d'instruction même aux Chretiens:* hac notavit censura: *Hæc propositio est falsa, temeraria, scandalosa, erronea, sanctæ religioni Christianæ injuriosa.* Perfectionem Christianam, & ἐπιγνωσιν veri Dei, non nisi Christiana religio, eaque *ἡνωσις* Catholica tradit.

§. XI. Modum etiam hic, ut alios mittamus, excedunt nostri Mystici, majorem renovationem, & inde ortam Perfectionem spirantes. Litem Illustrissimo Cameracensium Archiepiscopo, *Francisco de Salignac Fenelon*, hoc nomine, ceu notum, movit Illustrissimus Meldensium Episcopus, *Jacobus Benignus Bossuetus*, idque merito, cum alibi, tum in Tract. III.

de *Nova quest.* qui *Quietismus redivivus* inscribitur, admon. prævia §. 20. sect. 3. c. 2. §. 1. 4. item in Declarat. trium Episc. circa l. cui titul. *Explicat. des maximes des Saints &c.* quæ habetur in ejusdem Dn. *Meldens.* divers écrits ou memoires, sur le livre intitulé: *Explication de Maximes des saints &c.* p. 268. Queritur enim, quod in eis totus iste liber versetur, ut probet, quod ista oratio, passiva scilicet & quietis, quam Dn. *Cameracensis* urfit, ipsaque contemplatio in purissimo amore consistat, quod non modo per se sit justificans, verum etiam consummans atque perficiens, ac proinde summa perfectionis Christianæ. Sane in avertissem. libri sui p. 16. expresse *ArchiEpiscopus* sic scripsit: *Toutes les voyes interieures tendent à l'amour pur ou desinteressé. Cet amour pur est le plus haut degré de la perfection Chretienne. Il est le terme de toutes les voyes, que les Saints ont connu.* Reposuerunt vero non solum in sua *Declaratione Gallicæ* præsules, *Parisiensis*, *Meldensis* & *Carnotensis*, l. c. quod omnes contemplativi ac spirituales viri uno ore rejiciant *Christianam perfectionem & sanctitatem, aut purificationem, aut omnino interiorem statum in oratione passiva seu quietis, aliisque extraordinariis reponi: seque suis articulis, qui leguntur in Act. Condemnat. Quietist.* illud inprimis cavisse, ne id fieret: Sed & alias ex naturæ nostræ residua corruptione etiam constat, affluente, & impediante ubivis in omni bono opere labe originali, istam tantopere jactatam perfectionem in mera speculatione, ad quam praxi pervenire in hac imperfectione non liceat, ceu ex Rom. 7. satis constat, consistere. Manifestus denique hic datur, apparetque abusus *Philosophiæ Platoniciæ*. *Platonis* enim & *Pythagoricorum veterum* hæc fuit sententia, quod *homo sua tantum esset anima*, quam in corpore puniri statuerunt, de quo prolixius *Clemens Alexandrin.* l. 3. Strom. f. 433. *Platonis* verba in *Alcib.* 2. f. m. 36. nota sunt: "Ἐξερῶν ἄρα ὁ ἄνθρωπος ἐκ τοῦ σώματος", *homo aliud est à corpore suo.* Respondet huic disciplinæ omnis illa doctrina, sive *Mystica*, sive *Quietistica* vocetur, qua anima, antè tempus beatæ analyseos, quod divinitus definitum est, organico à corpore, ad quod divina ordinatione destinatum est, ut illud entelechialiter permeet

meet

meet & actuet, & integrum cum illo corpus naturale constituat, separari gestiens, quasi vere nihil cum illo commercii haberet, vel habere deberet, contra hujus vitæ statum, ad ecstases & raptus divinitus non promissos tendit; quasi corpus, ceu *anima monumentum*, *σῆμα λῆς ψυχῆς*, uti veteres locuti sunt, in quo *ad luenda supplicia*, *διὰ τῆς λυωμένης*, sepulta sit eadem, in nullam spiritualis felicitatis communionem cum anima venire debeat. Rectius David Ps. 84. *Cor meum, & caro mea subilant erga Deum vivum.*

§. XII. *Hugo de Palma* in Theol. Mystic. *triplicem animæ viam* explicans, *purgativam, illuminativam, unitivam*, manifeste Platonizat, & Pythagotizat, ceu ex *Platone, Porphyrio, Hierocle*, & aliis doceri potest. Etsi vero expurgato Gentilismo, convenienter etiam disciplinæ Christianæ hæc explicari queant, clamante per Prophetam Jehova Es. 1. 16. *lavate vos, purificate vos, removete malitiam operum vestrorum ab oculis meis*; existente Spiritu sancto gratia sua illuminatrice id in corde fidei, quod lumen olim perpetuum in templo fuit, & docente ductu suavi, non raptu, fidei, mediato: Hæc enim à nobis non negantur: Conf. *Dannh. Hodof. p. 938. sq. urgente Paulo I. nostro*, per præceptum quotidianæ renovationis studium *ἐἰς ὁμιλίαν καὶ ἐκπόνα* Dei, etiam quandam purgationem, cum quotidiana Spir. s. illuminatione conjunctam: Quod *viam* tamen *unitivam*, ad *transformationem & Deificationem mysticam* tendentem, attinet; de qua *Cameracensis Archi-Episcop.* in *Explicat. des maxim. &c. art. 35. Hugo de Palma l. c. p. 45. Sandæus Theol. Myst. p. 429. 433.* non eodem modo ab omnibus ista explicatur; in eo licet conspirent, quod notet statum plenæ perfectionis, & amoris erga Deum purissimi. Verum ne dicam, gratis in hæc imperfectione, inhabitante adhuc in nobis concupiscentia, sollicitare & irritare etiam renatos non cessante, jactari charitatis perfectionem. Rom. 7. Unio mystica certe renatorum fidelium, & Christi, non primo fit vinculo charitatis, sed fidei. Unus enim est *Dominus, una fides*, Eph. 45. *Credendo* etiam recipimus Spiritum s. Eph. 1. 13. & *per fidem* etiam Christum apprehendentem, *habitat ille in cordibus nostris*, Eph. 3. 17. per admirabi-

mirabi-

mirabilem & ineffabilem *juncturam substantia ad substantiam, sine extensione, aut contractione creaturae divinae*, ut loquitur B. *Hülseman* Brev. c. 14. §. 1. & quod contra *Quietistas* notamus, ipsius etiam *natura Christi humana*, Joh. 14. 23. 1. Cor. 6. 15. seqq. Eph. 5. v. 30. ex instituto hoc probante B. D. *Joh. Schmidio*, de Union. Myst. Christ. & fidel. c. 2. §. 1. Inanis ergo hominum horum amor est, quo se Deo uniri fingunt, cum *Malavallus*, apud *Episcop. Meldens.* in Quietism. rediv. sect. 6. c. 1. p. 400. *Deum purum ita contemplationis objectum esse* contendens, ut nihil addendum sit *simplici visioni Dei: ac ne NB. quidem ipse Christus, aut personae divinae, cum Deus unus in seipso considerandus sit sine attributis, sine ulla notione aut actione distincta, sed secundum essentiam; actus fidei directae, in qua ejusmodi speculationes, praecisiones, & abstractiones metaphysicae non dantur, cum actibus fidei reflexae manifeste confundit. Ne dicam, Quietisticam hanc disciplinam repugnare disciplinae Christi, Joh. 5, 23. Unde quicquid sit de conceptu objectivo, sane conceptus horum Quietistarum formalis vitiosus est, quas non nisi suis ad inventionibus delectari non abs re quis dixerit, non colentes divino modo Deum, per mediatorem Christum, & in nomine Christi. Stat illud Salvatoris, cujus praer nimio Dei amore hi Ecstatici obliviscuntur, Joh. 14. 16. Nemo venit ad Patrem, nisi per Christum. Jure ergo pro dogmate monstruoso horum Spiritualium habetur effatum de *supprimendo, & non eliciendo actu amoris erga humanitatem Christi*, durante scilicet isto contemplationis & orationis quietae statu, *ceu quae sit objectum nimis sensibile; cui disciplinae dudum jam anathema dixit Paulus 1. Cor. 16. 21. merito etiam hanc disciplinae damnante Innoc. XI. Pontif. prop. 35. Adde & hoc, quod haec unio per amorem, atque charitatis actus, impropria sit, quae qua talis veram substantiarum conjunctionem & inexistenciam non infert. Talis vero est unio Mystica Dei & fidelium vera κατὰ φύσιν Christi in nobis, Eph. 3. 17. & μὴ, mansio, Joh. 14. 23. Joh. 6. 56. amori contradistincta; & proin unio non objectiva solum, qualis est ista Quietistica, sed etiam inhabitatrix.**

§. XIII.

§. XII. Perfectam renovationem, noviq; hominis induitionem omnimodam, in superiori seculo etiam jactavit *Elias Stifelius*, Fanaticus Thuringus. Hic enim in *Responso* dato ad *Conistorii Lipsiens.* quæstiones d. 25. Jun. 1605. quod exhibet *Gottofr. Arnold.* Hist. hæc. P. III. c. 4. f. 33. ita loquitur: *Wo Christus und Gott der Vatter mit seinem Heiligen Geist in Christo das Leben vvircken, vvollen und vollbringen ist, da ist keine Sünde, sondern lauter Gerechtigkeit, leben und seligkeit: vwie denn auch Abraham Gott gleicher Gestalt geglaubet hat, und dis ist ihm zur Gerechtigkeit gerechnet. Weil nun Christus in ihm Esajas Stifeln, vwie in einem rechtglaubigen Christen, und Gesalbten des Herren das Leben vvircken, vvolle und vollbringen ist; ja vveil Christus der Same das lebendige Wort Gottes voll heiliges Geistes in ihm kräftig, lebendig und thatig bleibet, ist er kein Sünder; darff derentvvegen vveil Christus alles in allem in ihm ist, NB. auch umb Vergebung der Sünden nicht bitten, noch die fünffte bitte des Vatter Unsers vor sich brauchen, sondern freylich vor seine Kinder, und vor die, so er siehet sündigen, vehementer invecus in B. Lutheri explicationem Petit. V. Orat. Dom. Seduxit hic *Stifelius* quendam *Ezechielem Methum*, qui & ipse se sine peccatis hac in vita esse; & legem Dei implere posse, Ecclesiam etiam his in terris sine macula, & ruga esse oportere deliravit; arrogantiam hominis taxante ipso *Arnoldo* l. c. f. 81. prono alias viro ad hujus generis Pietastros excusandos. Ex quo horum hominum, quos hagiocæmon agit, impudentia quousq; progrediatur, cognoscitur. Atqui vero secundum *Prov. 24. 9. nemo potest dicere, mundum est cor meum, & mundus sum à peccatis; cum facti simus ut immundum omnes, Esaj. 64. 6. & debeamus μάλλον περιστέειν, magis in bono abundare, 1. Thess. 4. 2. Quis sine aliquo peccato? Quis sine aliquo vitio, id est, fomite quodam, vel quasi sine radice peccati, cum clamet, qui supra pectus Domini recumbebat: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, recte monet B. August. Ep. 29. ad Hieron.**

§. XIII. Induitioni huic novi hominis vel maximè repugnat larva fictæ pietatis, cujus autorem rectius Dæmonem,
C
quam

quam Spiritum sanctum, Spiritum veritatis, esse dixeris. Novo enim homine induti ambulant in *sinceritate & veritate*, 1. Cor. 5. 8. Clandestinis vero artibus agunt *Pietastri*, velum pietatis, ubicunq; se ingerunt, præ se ferentes, larvam hypocriteos pharisaicæ concinne adornantes, & specie simplicitatis exteriori vafritiem, quo non satis cautos, & artium quibus utuntur imperitos, optimas etiam sæpe numero mentes, fallant, tegentes, occulte denique circumeundo grassantes, ut citius nocuisse inveniantur, quam deprehendantur, quos non male latentibus, & in angulo sibilantibus anguibus quis comparaverit. Nimirum, ut homines hos characterizat *Plato* 2. de Rep. f. 424. F. *πρόσωπα μὲν ἢ χῆμα, κύκλω περὶ ἑμαυτὸν σκιαγραφίαν ἀρετῆς πειραζομένων, ἴην δὲ σοφωτέρῳ Ἀρχιλόχῳ ἀλώπεκα ἐλκτίον ἐξόπιδεν κερδαλέαν ἢ ποικίλην, induere itaq; imaginem oportet, & quandam præ se ferre virtutis adumbrationem, a tergo vero illam sapientis Archilochi vulpem astutam & variam trahere.* Tales fuerunt *Montanus*, *Pelagius*, alij, de quibus alia occasione. Genuino proin characterē *Baronius* notavit *Pelagium* in Annal. t. V. ad ann. Chr. 411. f. m. 330. *Latens*, inquit, *sub monastico habitu lupus rapax, novus Proteus, pro loco & tempore, atq; personis, sermonem mutans cum sanctis sanctus æque apparere conatus est;* pietate qua aliis, Sanctis etiam viris, imposuerat, blasphemias tegens, *πολύμορφον πρῶτον*, uti loquitur de *Ebione* Hæretico *Epiphanius* hæres. 30. §. 1. f. 125. *Polypis* hujus generis homines comparat *Clemens Alexandrin.* Pædag. l. 3. c. 11. f. 256. *Ἰᾶς πίτταις ἐξομοικμένοις, αἷς ἂν προσμιλῶσιν, petris quibus adherescunt assimilatis, dum colore quoque tales esse videntur.* Cum hoc pietatis schemate quia plerumque pertinacissima *ἰδιογνωμοσύνη* conjuncta est, ceu patet exemplo *Pharisæi Publicano*, hypocrita isto meliori, sic insultantis coram Deo, Luc. 18. *Deus, gratias, Deus, ago tibi, quod non sum sicut reliqui homines, rapaces, injusti, mæchi; aut sicut hic Publicanus;* inter præcipua impedimenta induitionis novi hominis, hujusmodi *Pietismus* merito refertur.

F I N I S.

angeb. 6,
uw. 7

DE
CONVERSIONE HOMINIS
CONTINUATA,
Qua est
STANTIUM,
ET
POENITENTIA QUOTIDIANA
dicitur,

ex Romanor. 7. v. 24.

In Incllyta Argentoratensium Academia,

PRÆSIDE

JOHANNE JOACHIMO
ZENTGRAVIO,

SS. Theolog. D. & Prof. Publ. Ord.

respondet

JOHANNES DANIEL Nuth/
Argent.

COPIA

IN

LIBRARIIS


UNIVERSITATIS

FRANCOFURTI

AD

ANNO

MDCCCLXXX





DE
CONVERSIONE HOMINIS
CONTINUATA,

quæ est
STANTIUM,

ex Romanor. 7. v. 24.

§. I.



Antiquissimum specimen *Examiniis* sui ipsius, in Gentilium schola traditi, exhibent *Aurea Pythagoreorum*; quorum autor, de quo in utramque partem erudite disquirat *Theodorus Marcilius*, in Comment. ita cecinit: Μηδ' ὕπνον μαλακῶισιν ἐπ' ὄμμασι προσδέξασθαι, πρὶν τῶν ἡμερινῶν ἔργων ἰσὺς ἕκασον ἐπελθεῖν. ἢ παρ᾽ ἐβην; ἢ δ' ἔρεξα; ἢ μοι δέον ἔκτελέσθαι; Ἀρξάμενθ' ἀπὸ πρώτου ἐπέξειδι. καὶ μελέπειλα δεινὰ μὲν ἐκπρήξας ἐπιπλήσσοιο. χρῆσά δὲ, τέρπυ, ita reddente eodem *Marcilio*: *Nec dulci declines lumina somno, quantum quoque die reputes quid feceris; in qua parte modum excessi, quid perfecisti, aut quid omisi? Atque ita procedens adijunge novissima primis. Si male gestum aliquid, tute argue; sin bene, gaude.* Fluxisse hæc credere liceat ex aureola, ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ, NOSCE TEIPSUM, sacris æque atque profanis scriptoribus probata, portis etiam delubri Delphici, ut fertur, olim inscripta. Ο' μὲν γὰρ Θεοί, inquit *Plutarch.* de EI apud Delph. t. 2. opp. f. 392. ἕκασον ἡμῶν ἐνλαύθια προσέοιλα δῖον ἀσπαζόμενθ' προσαγορεύει τὸ ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ, *Deus*

unumquemque nostrum huc accedentem veluti salutans compellat,
 NOSCE TEIPSUM, inquiens. Instituitur quippe aureolæ hujus;
 quam *Lucas Holstenius* de vit. & script. *Porphyr.* c. 8. p. m. 45.
Pythagore & Platonis scholam principium, atque fundamentum
totius Philosophiæ statuisse affirmat; praxis, late alias patens, *Cle-*
mente Alexandrino 5. *Stromat.* f. m. 556. explicante, per ejus-
 modi examen sui ipsius. Oculo quippe in conscientiam reflexo,
 mortalem in seipsum descendere, & cordis recessus & latebras
 perlustrare oportet. Gratissimum Numini ejusmodi descensum
 esse *Plutarch.* significare voluit. Unde *Hierocles* in *Comment.*
 in *Aur.* p. 209. *πρὸς ἑσπέραν, - αἰτ, καὶ εἰς ὕπνον τρεπόμενον, ὅπως ἀν-*
πέρας τῶν μεσημερινῶν πράξεων τὸ τίς συνειδήσεως καθέξομεν δικαστή-
ριον, ἐπικρίτιον ἄσμα Θεῶ, τὴν τῶν διαδέσεων ἀνάκρισιν ποιούμενοι, πῆ
παράβην; ἢ δ' ἔρεξα; ἢ μοι δέον ἐκ ἐτελέθη; *vesperi, somnique appe-*
tente tempore, diurnarum actionum extremum conscientia tribu-
nal constituamus, Deoque ipsi affectionum examen in canticum e-
damus, quod lectum petentibus eidem par est recitari, quo ventum
mibi? Quid gessi? qua debita tempse? Hinc *Cicero* de *Senectut.*
 p. 84. ad morem hunc respiciens, de *M. Catone* autor est, quod
Pythagoreorum more, quid quoque die dixerit, audierit, egerit, ve-
speri commemorarit. Finis hujus instituti erat, ut homo fieret
 perfectus, hoc est probus, & Deo similis: Ibi per virtutes pra-
 cticas, hic per contemplativas, idque ad fines theurgicos; de
 quo prolixius *Hierocles & Porphyrius* egerunt, quodque etiam
Chaldaeorum Oracula, quæ sub Zoroastris nomine circumferun-
tur, commendarunt. Inserviit proin hoc disciplinæ genus etiam
Purgationibus tam animæ, quam corporis, quas homines hi, ceu
 necessarias ad *communicationem cum spiritibus* obtinendam, h. e.
 Dæmonum communionem, urgebant, qua animam prius san-
 ctam, per descensum in hæc inferiora, excidisse credebant. Πα-
 ρασκευάζειν, *preparare*, enim dicuntur *πρὸς τὴν τῶν καθαρῶν πνευ-*
μάτων συνουσίαν ἐπιηδείως ἔχειν, ad mundorum spirituum congressus
idonee habendos, addita ratione: Μὴ καθαρὸν γὰρ καθαρῷ ἐσάπτεσθαι
ἐκ ἐστὶ δέμης, quod impuro attingere purum nefas. *Hierocl.* l. c. pag.
 304. Unde de *Jamblichō*, famoso Dæmonum mancipio, *Eunap-*
rius vit. *Philos.* in *Jamblich.* p. 22. notavit, quod *δικαιοσύνην ἀσ-*
κήσας,

κῆσας, ἐνοικοῖται ἔλυχε θεῶν τοσαύτης, ob justitiae cultum, facilem ad Deorum, quos ad praestigias magicas edendas sibi promte intervenientes expertus fuit, aures accessum habuerit. Hac vero uti commercii alicujus, quod Pythagoræ & Platoni cum Ebræis intercesserit, & lectionis librorum sacrorum, sacrique alicujus plagii, conjecturam, non absque ratione pariunt, quos de *stantium conversione continuata*, seu de *Pœnitentia quotidiana renatorum*, renovatione item, & sanctificatione, nunquam non omittenda aliquid inaudivisse, vel legisse credere liceat, dogmatibus licet suis theurgicis illud contaminarint; ita impietatum theurgicarum Magistris, in Angelos lucis se transformantibus, sua fallaci larva relicta, rectius auscultabimus *Paulo*, qui quæ sit *continuata stantium conversionis genuina*, & pœnitentiæ quotidianæ indoles, loco jam allegando, eximie docet. De quo etiam Colloquii Academici gratia, Deo annuente, nonnulla meditari fert animus.

§. II. Locus *Pauli* à nobis laudatus, ex quo de *Pœnitentia quotidiana*, seu de *Conversione hominis continuata*, quæ est *stantium*, agere constituimus, sic legitur *Roman. 7. 24. καλῶς ἔγωγε ἀνθρώπου, τίς με ῥύσειαι ἐκ τοῦ σώματος τῆς θανάτου τούτου. Vulgatus* ita vertit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Nec multum ab *B. August. de Nat. & Grat. c. Pelag. c. 54.* qui sic reddidit: *Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* omissa voce *ego*, quam alibi tamen addit, de verb. *Apost. ferm. 5. tom. 10 Opp.* Antiquissima versio *Irenæi*, cujuscunque fuerit, 3. advers. Hæres. c. 22. ita habet: *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus.* Sic verò *Erasmus: Miser ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore morti obnoxio?* *B. D. Sebast. Schmidio* sic placuit: *Miser ego homo! quis me eripiet è corpore mortis hujus: secuto* versionem *B. Lutheri nostri: Ich elender Mensch, wer wird mich erlösen von dem Leibe dieses Todes.* Merito hanc præfert *B. D. Wellerus* in *Comment. in h. l. versioni Piscatoris*, qui *Erasmmum* sequitur: *wer wird mich erlösen von diesem Leibe des Todes; cum pronomen τούτου, dieses, non ad τὸ σῶμα ab Apostolo referatur, sed ad vocem θανάτου, eiq; postponatur; nec etiam ratio appareat, quare constructionem mutare debeamus. Neque enim, ut loquitur Ludovic. de Dien Animad.*

in Ep. ad Rom. h. l. p. 95. singularem emphasin habere videtur, si demonstret corpus: sed longe maximam, si mortem. Vulgatum autem quod attinet interpretem, cui ταλαίπωρος redditur infelix; parum apposite id censet *Eduard. Leigh. Crit. S. N. T. p. 585*. Verum quidem est, quod qui moraliter dicitur miser, etiam audit infelix; consecutivam tamen potius, quam formalem vocis Græcæ, quod expresserit interpretes, significationem, ipse videtur agnoscere *Cornel. à Lap. Comm. h. l. sic notans: INFELIX Græce ταλαίπωρος, id est, miser, ærumnosus. De variis Lectionibus, neque Erasmus in Not. neque Oxonienses quid monuerunt.*

§. III. Audiemus autem super hunc locum I. Nonnullorum Ecclesiæ quinque secularis Doctorum explicationes. Ex his *B. Irenæus* advers. Hæres. l. 3. c. 22. ita loquitur: *Propter hoc Paulus infirmitatem hominis annuncians, ait: Scio enim quoniam non habitat in carne mea bonum, significans quoniam non à nobis, sed à Deo est bonum salutis nostræ. Et iterum: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Deinde infert liberatorem, Gratia Iesu Christi Domini nostri.* Prolixius *B. Chrysostomus*, qui interprete *Muscuro*, sequentia ad nostrum notavit locum: *Vides quanta sit malitiæ tyrannis, quomodo mentem, etiam lege Dei condelectantem, vincat? Et nonnullis interjectis, gemendo, inquit, vehementerque lamentando, quemadmodum fieri solet, quando tardantibus auxiliatoribus desperatio ingruere cœpit, Christi potentiam ostendit dicens: Miser ego homo, quis me eripiet ex mortis hujus corpore? Lex ipsa non potuit, conscientia non suffecit: quin neque adjuvit, quod quæ bona sunt laudavi, neque bona laudavi solum, sed & contraria impugnavi. Rursus: Cum verò audis, quod dicit, quis me eripiet de corpore mortis hujus? noli putare, quod carnem accuset. Non enim dicit de corpore peccati, sed de corpore mortis, h. e. de mortali corpore, de corpore quod sub morte captivum tenetur, non quod mortem pepererit, id quod non malitiæ carnis, sed violentiæ, quam illa patitur, signum est. Quemadmodum cum quis à Barbaris captivatus est, non ideo Barbarus est, licet ab illis detineatur: ita & corpus nostrum corpus mortis dicitur ex eo, quod ab illa occupatur, non ideo quod illam procuraverit. Propterea neque Apostolus simpliciter eripi desiderat ex corpore, sed ex mortali corpore, clanculum significans, quod equidem saepe dixi, nimirum*
quod

quod corpus ex eo quod factum est passibile, peccato quoque simul factum est expositum, quod sc. ab eo invadi facile, capique posset. Subscribit concisus locutus *Theodoretus* Comm. in Rom. l. c. *Mortis corpus vocat, ut obnoxium morti factum; τῆσι θνῆτον, hoc est mortale.* Ex Latinis vero B. *Augustinus* t. 7. de Nat. & Grat. contra Pelag. c. 55. ex loco nostro disputans, ad verba, *quis me liberabit de corpore mortis hujus*, ita notavit: *Non enim & ille substantiam carnis accusat, cum dicit liberari se cupere de corpore mortis hujus, cum etiam corporis sicut anime natura Deo bono auctori tribuenda sit. Sed utiq; de vitio corporis dicit. Nam de corpore mors corporis separat, sed contracta ex illo vitia coherent, quibus justa poena debetur, quam etiam in inferno ille dives invenit. Hinc se non poterat utiq; liberare qui dicit: Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Et nonnullis interjectis addit: Non enim tantum desiderat (exclamans Apostolus) ut per indulgentiam sit de prateritis impunitus, sed etiam ut sit de cetero ad non peccandum fortis & validus: Etsi alibi, l. serm. de verb. Apost. serm. 6. t. 10. Opp. etiam *Chrysostomi* & *Theodoreti* explicationem secutus, ita scripserit: *Sic implebitur, quod dictum est: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Quia Christus Jesus, si spiritus ejus in vobis est, vivificabit & mortalia corpora vestra: Sic liberaberis de corpore mortis hujus, non corpus non habendo, vel alterum habendo, sed non ulterius moriendo: id non facturus, nisi duplex hæc explicatio ita se haberet, ut una alteram inferret. De quo in sequentibus.**

§. IV. Ex Nostratibus B. *Aegid. Hunnius* Comm. in Ep. ad Rom. ad nostrum locum, *consideratione*, inquit, *istius sue depravationis, perpetuae militie carnis & spiritus ingemiscit, & in hanc tragicam exclamationem solvitur Apostolus: Miser ego homo, quis me eripiet &c. Miserrum se nominat, quia præter voluntatem sub peccato captivus teneatur in mortali suo, peccatisq; obnoxio corpore; è quo tanquam ergastulo liberari unice desideret. Cæterum ex hac tristi querimonia rursus fide se erigit &c.* Vides à B. *Hunnio* utramque sententiam conjungi, quam B. *Augustini*, & Græcorum Ecclesie Patrum esse modo vidimus. Nec dissentire videtur B. *Baldwin.* Comm. h. l. *Conqueri enim* i. illi dicitur Paulus *de miseria generis humani, quæ ex primo lapsu Adami redundavit*

in omnes: hinc est omnis infelicitas in mundo. 2. Liberatorem quaerere, quia de suis viribus iam desperaverat. 3. Liberationem petere à corpore mortis, quod per Ebraismum dicitur pro corpore mortali: in quo pugna hac carnis & spiritus superstes erit, quamdiu spiritus vitalis in illo fuerit. Est igitur gemitus de beata ἀναλύσει, quae supremus malorum omnium erit terminus. Addimus his B. D. Jacobum Wellerum, qui cum in Comment. in Epist. ad Rom. p. 444. Exclamationem Apostoli non desperantis, sed suspirantis esse, monuisset, quid sit τὸ σῶμα τῆς θανάτου τῆς, sic explicavit: Melius est dicere, Apostolum corpus mortis nominare integram illam & pessimam molem peccati in nobis haecenus residuam, quae maxime efficax sit, & nunquam non instar tyranni nobiscum pugnet, quod ex c. 6. 6. patet, quod ibi corpus peccati, hic vocat mortis.

§. V. Ex Romano Catholicis Lyra h. l. Paulum, qui se infelicem hominem appellavit, per & propter corruptionem naturae, petere liberari in persona generis humani, notat, non absolute à corpore, cum anima perfecte beata non erit, donec fuerit suo corpori reunita, sed à corpore mortis hujus, cum resurrecturi simus in corpore immortalis. Ast qui Cardinalis S. Xisti audivit, Thomas de Vio, Cajetanus, in Enarrat. Epistol. ad Rom. ad nostrum locum ita commentatur: Infelix ego homo. Hinc apparet clarius, quod in persona justificati hominis locutus est. Nam affectus hujusmodi suspirantis agrè ferendo statum carnis, manifeste affectus est, non solum justificati, sed sancti viri, miserum se profitentis ratione affectuum carnalium, & suspirantis pro liberatione. Unde & dicit, quis me liberabit de corpore mortis hujus? hoc est, ut mox notat, ex quo donum gratiae Christi me non liberat ab hac carnis conditione mortifera, quis me ab illa liberabit? quasi dicat: Nullus. Meliora haec sunt cum Lyra commento, tum Cornelij à Lapide explicatione, qui in Comment. ad l. c. n. 93. corpus mortis etiam exponi posse affirmat de corpore obnoxio multis morbis, afflictionibus, & erumnis, & de liberatione in resurrectione futura, dato sibi corpore immortalis & glorioso; ita ut haec verba Apostoli sint ardens ex hoc misero, & mortali corpore, ad beatam & caelestem vitam anhelantis suspirium. Priores viri cogitationes n. 92. accuratiores fuerant, quando dico, inquit, à corpore mortis, id est à corpore moribundo & pec-

& pec-

Et peccandi affectibus, ac consequenter Et morti, Et corruptioni obnoxio; sensum consecutivum à formali distinguens.

§. VI. Audiamus etiam *Reformatos*. Ex his *Conrad. Vorstius* Comm. in Ep. ad Rom. p. 48. verba nostra ita παραφραζει: O me igitur miserum hominem, qui nunquam ex ista captivitate elutari possim! Ecquis me eripiet ex hac ipsa morte Et miseria, in qua haecenus cum maximo salutis meae periculo versor; notans in schol. corpus mortis omnino pro ipsa morte, sive extrema miseria, hic poni videri. Sedanensis olim Professor *Jacobus Cappellus*, Observ. in N.T. ad Rom. 8. 24. p. m. 55. expressius locutus est, explicans corpus mortis de mortifero. His enim verbis incusat, inquit, non tam mortalem corporis hujus visibilis massam, quam mortiferam illam peccati massam, quam in membris suis pugnans sentiebat adversus mentis suae legem. Supplenda vero responsio hujusmodi, Deus videlicet mihi prestabit libertatem illam, eoq; nomine gratias illi ago. Liberam vero sensus eligendi potestatem videtur relinquere *Wilhelm. Momma*, Not. analyt. in Ep. ad Rom. ad n. l. p. m. 487. Corpus nostrum, inquit, est corpus mortis, I. quia in ipso, Et in membris ejus haeret corruptio Et peccatum, quod mors est. II. quia sentit quotidie multa mala Et incommoda, morbos, afflictiones, quae Et ipsa mors quaedam sunt. III. quia obnoxium est morti corporali. Dein cum explicasset, liberatio è corporis morte, quo pacto fiat, p. sq. 488. addit: Per corpus mortis etiam potest intelligi corruptio illa, quae in toto est corpore, Et multis modis superest in ipsis regeneritis. Addimus his *Jacobum Acontium*, de Strateg. Sath. l. 5. p. m. 202. qui nostrum locum sic explicavit: Apostolus quidem intelligebat, in suis se oculis trabes habere, Et ita intelligebat, ut graviter ingemisceret: Hem, inquit, me miserum, quis me liberabit à corpore mortis hujus.

§. VII. Dissensus interpretum, qui in loci nostri explanatione occurrit, etsi subordinationem quandam admittat, Apostolo non refragante, primo tamen, formali & literali sensu, de corpore, ut variis corporalibus afflictionibus, morbis sc. & morti est obnoxium factum, Paulum loqui, non censemus, consecutivo licet sensu, ex verbis Apostoli haec inferri possint. Nos itaque mentem Apostoli indagaturi, locumque nostrum

B

con-

convenienti analysi explicaturi, notamus I. *Connexionem* horum verborum cum antecedentibus, & ex illa *scopum* Apostoli. *Scopus* Epistolæ Pauli ad Romanos est, explicante *Apollog.* A. C. p. 76. docere, quod sola fide accipiamus remissionem peccatorum, & Spiritum sanctum; & proponere, quod gratis justificemur, credentes nobis Deum placatum propter Christum. Ad hunc scopum omnia collinant, etiam quæ in cap. septimo habentur. Nam uti ex v. 1. c. 8. colligere licet, quo conclusio ex c. 7. infertur, docere intendit, quod ne quidem regeniti, sub gratia, qui Spiritu Dei ducuntur, quibus *velle bonum adjacet.* v. 18. quod *Deus operatur,* Phil. 2. 13. conf. *Hülsem.* de Auxil. grat. pag. 239. §. 2. ut *velint facere bonum,* v. 21. qui *delectantur lege Dei secundum interiorem hominem,* v. 22. qua formula *renovatio & cordis novitas* significatur, *Meisner.* Anthrop. P. I. Disp. 8. q. 1. §. 10. n. 5. qui *malum odio prosequuntur,* v. 15. 19. 20. ceu lege prohibitum, v. 7. qui *mente serviunt legi Dei,* v. 25. h. e. *spiritualem cultum Deo præstant in novitate spiritus,* *Dannhavv.* Hermeneut. S. pag. 284. aliter quam fide, sine operibus legis justificentur: Non exclamaturus, *me miserum, quis me eripiet à corpore mortis hujus,* si aliunde, quam à sola Dei gratia, gratis nos propter Christum justificante, & sic aliunde quam à Christo ipso, spes liberationis affulgeret. *Utiq;* inquit B. *Augustin.* supra allegatus ex lib. de Nat. & Grat. contra Pelag. c. 55. *se non poterat liberare, qui dicit: Quis me liberabit de corpore mortis hujus.* Et ad *Simplit.* l. 1. q. 1. c. 1. tom. IV. *se prævaricationis reatu,* inquit, *implicatum videt Paulus, ad hoc ut gratiam liberatoris imploret.* Unde sic loquentem Apostolum B. *Chrysostronus* introducit, quasi diceret: *Lex ipsa non potuit, conscientia non suffecit: quin neque adjuvit, quod quæ bona sunt laudavi, neque bona laudavi solum, sed & contraria impugnaui &c.* Unde igitur est salutis spes? *Gratias,* inquit, ago Deo per *Jesum Christum Dominum nostrum.* *Vides quomodo ostenderit, quam necessarius sit gratiæ adventus.* Statim hinc subjicit Apostol. c. 8. v. 1. *ἐδὲν ἄρα οὖν κατὰ κριμα τοῖς ἐν χριστῷ Ἰησοῦ,* nihil ergo nunc condemnationis est iis, qui in Christo *Jesu* sunt, fide nimirum eidem inserti. Quod verò ejusmodi flebili exclamatione gembundus aliter, quam gratia *Jesu Christi,* & fide, à peccatis

catis

catis liberari desperet, ratio est magna & multiplex illa imperfectio, tam cordis interna, quam operum externa, ob *inhabitans adhuc in nobis peccatum*. *ψ. 17. 20.* quo non solum opera nostra externa polluantur, ob luis hujus affluentiam, & quod actus isti ab impura, & labe peccati originalis infecta potentia, qua intime & inseparabiliter corrupta est, exeant, fœdam originem redolentes, quicquid hic contra disputet *Thomas Henrici*, Anatom. A.C. Art. 7. p. 182. conf, *Dannh. H. P. P. II. p. 292.* sed quod etiam vi tua usque eo renatos sibi mancipat, ut etiam quod *non probamus*, quod odio prosequimur. *ψ 15; quod non volumus malum faciamus*, *ψ. 19;* quod nunquam in nobis etiam quiescit, & perpetuo captivos nos detinet, atque in transversum agere nunquam cessat, contra *legem mentis*, renovatæ sc. & dissentientis, *ψ. 23.* Vim hanc peccati instigantis, sollicitantis, & *legis instar obstringentis*, explicante *B. Wellero*, Com. ad Rom. 7, 23. etiam quando maximo & serio pietatis studio tenemur, per plures versus à *ψ. 13.* ad *ψ. 24.* usque considerans *Paulus*, & inevitabilem hanc molestiam, sane quam gravissimam, *onus ipsum mortalitatis, in quo ingemiscimus gravati*, ut loquitur rursus *Augustinus* ad *Simplic. l. c. paulo post appellans sarcinam prementem & urgentem*, cum maxima sui displicentia quotidie sentiens, dolorem, quem pœnitenti corde ulterius continere nequit, prævalente tristitia, ob irati Numinis sensum etiam, uti notabitur, in gemitus & exclamations erumpere sinit, *Miser ego homo*, inquires & vociferans, *quis me eripiet è corpore mortis hujus.* Quæ etiam consideratio peperit desperationem, liberationem ab hoc malo, quæ primo & præcipue per remissionem peccatorum obtinetur, aliter quam per gratiam Dei, & fidem in Christum obtinendi, quod gemebunda hac exclamazione docere etiam intendit. *Arminij* explicatio in *Dissert. de vero & genuino sensu c. 7. ad Rom.* quod *homines sub lege existentes & non sub gratia Christi, carnales, cum non sint suorum actuum Domini, sed peccatum quod in ipsis habitat, miseriam hinc suam, & legis indicio agnoscentes, exclamare coguntur, & gratiam Jesu Christi implorare*, falsa nititur hypothese, quasi noster locus ageret de homine irrogenito, de qua in sequentibus. Ex Patribus etiam *Clemens Alexandrin. Strom. l. 3. f. 457. sq.* docet, quomodo

considerationi suæ infirmitatis, querulam hanc exclamationem subjecerit, ceu intuitu illius factam. Subscribit *Augustin.* ad Simplit. l.c. Clarissime I. de Nat. & Gratia contra Pelag. c. 55. *Non tantum desiderat Apostolus, ut per indulgentiam sit de præteritis impunitus, sed etiam ut sit de cætero ad non peccandum fortis & validus. Condelectatur enim lege Dei secundum interiorem hominem. Videt autem aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, videt esse, non recolit, fuisse, presentibus urgetur, non præterita reminiscitur. Nec tantum repugnantem videt, verum etiam captivantem se in lege peccati, quæ est in membris ejus, non quæ fuit. Hinc est quod clamat: infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus.* Patet hinc ineptire illos, qui fingunt, Paulum ut Philosophum Platonicum è corporis hujus vinculis exsolvi cupiisse.

§. VIII. II. Notamus *Gementem*, qui pronomine primæ personæ ἐγὼ exprimitur, ipseque est Apostolus Paulus, cujus etiam hæc sunt verba. Hic est subjectum, de quo prædicata loco nostro contenta enunciantur, & intelligenda sunt, si oratio Pauli querula, exclamatoria & interrogatoria, formaliter non logica, ad propositiones Logicas fuerit reducta. Duo nimirum de se dicit Paulus, de se in prima locutus persona: *Primo* quod sit ταλαίπωρος ἄνθρωπος; *dein* quod ἐν τῷ σώματι τῷ θανάτῳ ἐστίν, à nemine, præter Christum scil. eripiatur. Quanquam etiam nil impediatur, quo minus unam propositionem enunciativam, & Logicam ex verbis Pauli faciamus, hoc modo: *Ego (Paulus) sum is, qui miser est homo, è corpore mortis hujus à nemine (quam à Christo) eripiendus.*

§. IX. Cum itaque qui hic loquitur, voce ἐγὼ intelligendus, gembundus exclamans: Ταλαίπωρος ἐγὼ ἄνθρωπος, miser ego homo, ipse sit Apostolus, an de se, ut renovato, an vero ut irrenovato: An in persona propria, an in persona humani generis loquatur, gemenisque suspiret, disquiritur. *Sociniani* certe, *Arminiani*, & si qui alii, perfectionis opinione inflati, hic cum his conspirant, *Pelagianos* secuti, acerrime negant, Paulum in 7. ad Rom. capite loqui de se ut renato, sed sub sua Persona de homine, qui Christi expers adhuc sub lege est, uti *Socini* verba habent apud B. Franz. Schol. sacrif. D. 20. §. 126. p. 723. quod in peculiari tractat. in c. 7. Rom. sub nomine & larva *Prosperi* cujusdam *Dysidæi*,

ex

ex instituto assertum ivit: Probante *Jona Schlichting.* contra Meisn. p. 162. quod *Socinus* hanc querelam neget esse ipsius *Pauli*, *Christi spiritu jam regeniti, sed Pauli personam hominis sub lege constituti, nec spiritu Christi præditi, sumentis*; annuentibus etiam in *Apologia Arminianis*, & ad *Socinum*, ceu nervosissime cum *Arminio & Toletio* docentem, quod Rom. 7. 14. sqq. *Apostolus de regenitis per Spiritum Christi non agat*, provocantibus, in quorum sententiam etiam *Conrad. Vorst.* Com. in Ep. ad Rom. p. 50. sqq. utriusque sententiæ exhibitis rationibus, transire videtur. Verum quod *Apostolus* loco nostro de seipso post regenerationem, nec de alio, vel de seipso nondum renato loquatur, vox ἡγῶσα tis emphatice expressa, emphasin explicante eximie *Abbate Theona* Collat. 3. c. 16. & à *Paulo* ψ 14. 17. 20. 24. 25. repetita, evidenter docet. Unde sic argumentor: Status τὸ ἡγῶν, sive *Pauli*, ψ. 23. & 25. expressus, est status hominis regeniti. Status τὸ ἡγῶν, sive *Pauli* versu nostro 24. notati, est status τὸ ἡγῶν, sive *Pauli* ψ. 23. & 25. expressus. E. status *Pauli* versu nostro 24. notati, est status hominis regeniti. Major propositio inde patet, quia utrobique *Paulus* de se loquitur, qua non tantum *carne legi peccati*, sed etiam quatenus *mente legi DEI servit, eaque delectatur.* ψ. 22. quod non nisi in renatos cadit, Gal. 5. 16. sqq. & sic qua non tantum carnalis, sed & qua spiritualis, *Spiritu Christi præditus*, Joh. 14, 17. fuit. Non malè *Adam Conzen.* ad Roman. 7, 14. q. 2. *Dicimus*, ait, *Paulum fuisse carnalem & spiritualem. Carnalem quod motus concupiscentiæ sentiret, spiritualement quod gratia adjutus non consentiret.* Nec datur cur de *Minore* dubitemus. Ingemiscit enim, & querulus ideo exclamat *Paulus*, quod *legem in membris rebellantem legi mentis, & captivum reddentem se legi peccati, experiatur invitus*, ψ. 23. præced. Præterea exclamatio *Apostoli* querula, uti constat agnitione peccatorum & miseriæ humanæ, sibi ipsi cum dolore, quem gemitus exprimunt, displicentis; voto item & fiducia liberationis ab hoc molesto onere peccati; ita certum est, tales non esse sub lege, sed sub gratia, & spiritu Christi duci, per quem sunt renati, credunt enim. De non renatis, inquit *B. D. Calovius* Socinism. proflig. de B. O. contr. 4. §. 8. p. 764. certum est, quod neque peccati gravitatem agnoscant,

quia hoc est pœnitentium, neque DEUM serio implorent, cum hoc sit credentium. Qui ergo istam exclamationem de non renato interpretantur, illi pœnitentiam & fidem in non renatos cadere absurdissime fingunt. Illa sane quam olim Pelagiani egerunt, hodie autem causam hic agunt Sociniani, Arminiani, usque eo mala est, ut B. D. Scherzero Colleg. AntiSoc. disp. 89. p. m. 728. memorante, in Synodo Unitariorum horum Lublinensi, ann. 1589. Socino ob hanc sententiam contradicendum fuerit. Quam plenius confutarunt ex nostratibus, inter cœlites jam triumphantes, D. Calov. Socin. proflig. l. c. Theol. Apostol. Rom. Orac. 56. Arminianism. de Fid. Justific. §. 46. p. 288. sq. Dannhavver. Hermeneut. S. p. 81. sqq. Scherzer. l. c. Meisner. Anthr. P. 1. D. 8. q. 1. §. 6. seqq. Schmalzj pinguedinem abstergente B. D. Franzio Schol. Sacrif. l. c. Quanquam vero & Lyrani hæc fuerit sententia, ceu notavimus, in persona generis humani Paulum liberari petere affirmantis, annuente Toletio, ab Estio tamen, Cornelio à Lapide, Cajetano, aliisque, eam improbari constat. Ex Reformatis idem facit Laurent. Paul. συνοήτ. p. 161. Momma loco supra notato. De Patrum judicio hac de quæstione, ad quorum consensum temere se recipiunt Arminiani, vid. D. Calov. Theol. Apostol. Roman. Or. cit. p. 326. sq. Quanquam enim supra laudatus Chrysostomus Hom. 13. ad Rom. ad c. 7. v. 14. Paulum ait describere hominem, sub lege & ante legem degentem; & introducere etiam eundem τὸ πρὸ τῆς χάριτος ἀνθρώπων, πολιορκούμενον ἐπὶ τῆς παθῶν, hominem ante gratiam ab animi perturbationibus obsessum, Theodoretus Com. in Ep. ad Rom. l. c. affirmat, accuratius tamen perpendens in certamine Pelagiano hunc locum Augustinus, non solum dissensit, priori retractata sententia i. Retract. c. 23. sed etiam pro se allegavit Hilarium, Gregor. Nazianzenum, Ambrosium, l. 6. contra Julian. c. 11. Aperte idem docet locus supra productus. Nec minus eximia sunt quæ pro hac sententia habet Abbas Theonas Collat. 3. c. 16.

§. X. Cæterum gemitum, ingemiscensisque & ingemiscendo exclamantis verba esse, quando τολαίωρ, inquit Apostolus, ἐγὼ ἀνθρώπων, τίς με ρύσει &c. res ipsa docet. Dicitur enim Exclamatio oratio, in qua interjectio expressa, aut intellecta, indicet

indicet animi affectum; eoq; etiam pronuntiatio intendatur, ad significandam rei magnitudinem, explicante Gerhard Joh. Vossio Instit. Orat. l. 5. c. 13. s. 3. p. 417. Πάθος fane D. Paulus suum, ejusque magnitudinem satis indicat, non sine verborum emphasi, vocisque, si pronuntiaturus eadem foret, intensione, cum ait παλαίωρα ἐγὼ ἄνθρωπος, quod idem est, ac si dixisset: O miserum me. Præterea cum exclamantes affectus magnitudinem etiam personæ, & rei compellatione, significare solemus, idem Apostolus facit, addens: Τίς με ῥύσεται ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου; Rei quæ ipsum sollicitum tenet magnitudinem, & mali cum quo conflictandum difficultatem, & quem in corde illius id cieat affectum, quantumque dolorem, satis exprimens. Non vero desperatio, sed tristitia potius contriti, & pœnitentis cordis, hic est affectus: Πάθος hominis ex serâ contritione & dolore, cum ob peccati fœditatem, tum offensi & irati Numinis sensum, sibi ipsi displicentis, & à fecibus hisce cordis tui, & interna camarina liberari avide cupientis, & anhelantis. Unde nec exclamatio hæc, bene notante B. Wellero h. l. p. 444. desperantis est, sed suspirantis, sive gementis & vehementer lamentantis, uti supra Chrysostomum loquentem audivimus. Momma l. c. p. 487. Paulus dicitur στενάζειν. Abbati Theonæ in Cassiani Collat. 22. c. 14. audit vociferantis Pauli miserabilis ejulatus.

§. XI. III. Observamus ex dictis, gementis, & gemendo exclamantis Apostoli πάθος, & ἡθος, quale fuerit. Πάθος est, fuitque sancta quædam perturbatio, atque ægritudo quotidiana, & commotio, orta ex agnitione mali quotidie commissi, ἀσθενείας licet, vere tamen peccati, ψ. 15. 19. & sensu mali iuhabitantis, ψ. 17. 20. mortiferi, animamque ut B. loquitur Augustinus ad Simplic. l. 1. q. 1. c. 1. aggravantis, per quod fit etiam ut invite delectet, quod non licet, summa cum molestia Apostoli, carnis hujusmodi illecebras ægerrime ferentis; quam ceu regenitus, qui legi consentiens, quod bona sit, ψ. 16. bonum facere anhelat, ψ. 19. Ἐν lege Dei delectatur, secundum interiorem hominem, ψ. 22. in se sentiens, etiam quotidie deploravit. Non enim latuit Paulum, sarcinam hanc prementem, ut cum Augustino loquar, Ἐurgentem jure supplicij divino judicio tributam Ἐ impositam esse ab eo,

eo,

eo, qui pramonuit hominem, dicens: *Qua die manducaveritis, morte moriemini*: Ideo enim *legem in membris* illam Apostolum appellare, doctissimus monuit Præsul. l. c. *Hinc est*, quod exclamat, rursus notante B. Episcopo Hipponensi, l. de Nat. & Grat. c. 55. *Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus*. Ex mali enim usque eo molesti, prævaricationis etiam reatui eundem implicantis, & per se, extra Christum, Paulum condemnationi obnoxium facientis, apprehensione, tristisque sensu, non poterat non in homine renato, qui *mente legi Dei serviebat*. *ψ. 25. exoriri dissilientia* cum sui ipsius, ob peccatum intime & inseparabiliter inhabitans, fœdeque labe sua totam naturam, omniumque facultatum actus inficiens; tum omnium actuum à labe originali affluente corruptorum; eaque non *simplex* tantum, sed *efficax* etiam, cum quotidiana detestatione, & serio voto liberationis à malo usque eo fœdo, & molesto, & secundum legem damnationis reatum secum ferente, conjuncta, quam *serius dolor & tristitia*, haud raro non absque *pavoribus conscientia*, comitabatur, ex legis suboriente sensu, Rom. 4. 15. *quæ iram operatur, & occidit*, 2. Cor. 3. 6. solatium quanquam contra suggerente Evangelio de JESU CHRISTO, Rom. 8. 1. Apostolum non sub lege, sed sub gratia constituyente. Accedente etiam perpetua & quotidiana lucta inter carnem & spiritum, Rom. 7. 21. sqq. Gal. 5. 16. unde difficultas operandi in homine renato tanta oritur, ut quæ non vult interdum faciat, Rom. 7. 15. 19; cum quotidiana etiam carnis refrenatio, crucifixio & mortificatio necessaria fuerit, ni carnem triumphare vellet Apostolus, Gal. 5. 24. de quo B. D. *Carpzovius* Isag. in l. Symbol. p. 1255. molestia hujus agonis non solum in eo, ceu renato & justificato, extremum erga peccatum *odium* incendit, *ψ. 15. sed &*, quod à cruciatibus, illecebris, vexationibus, & tentationibus hujus mali penitus in hac vita, & quoad ejus sensum liberari *desperaret*, accedente agnitione reatus ex lege *ψ. 7. &* odio peccati, quod in justificato fides parit, onere hoc pressus vehementer ingemuit, dolore interno in flebilem ejulatum resolutum. Quanquam vero ob *malum proprium presens*, quod *Thomas Aquinas* 2.2. q. 36. art. 1. *ꝛ. ad 1. objectum tristitia* constituit,

tuit,

tuit, Apostolus tantam conceperit tristitiam, ut sic exclamaret, ingemiscendo tamen sub onere peccati, & aliunde, quam à Dei gratia, atque Christo, liberationem consequendi sanctè desperando, non nisi tristitia secundum Deum, cum fide commixta, eamque consequens, affectus erat. Η δὲ καὶ διὰ τὴν λύπην μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον κατεργάζεται. *Clemens Alexandrin.* Strom. l. 4. f. m. 527. legit ἐργάζεται. ἡ δὲ τῷ κόσμῳ λύπη θάνατον κατεργάζεται, *tristitia vero quæ secundum Deum est, pœnitentiam ad salutem, non pœnitendam operatur; tristitia autem mundi mortem operatur, ceu Paulus docet 2. Cor. 7. 9.* Pœnitentis hominis ἡθὺς proin, peccata sua quotidiana agnoscens, & serio, ob reatum offensi numinis per se connexum, remissum licet, detestantis, sincera etiam pœnitentia se humiliantis; *prævaricatori, inquit Augustin. ad Simplic. l. c. humiliter exclamandum est; Miser ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus; quod contra legem fecerit se reprehendentis, iterum B. Præsule observante, & fide gratiam Dei implorantis, verba etiam nostra continent. Constituunt ἡθὺς hoc, atque, quod explicavimus, ἡθὺς, characterem hominis quotidie pœnitentis, ceu in sequentibus patebit ulterius.*

§. XII. *Cajetanus* in Comment. h. l. sicut vidimus, τὸ ἡθὺς Apostoli sic explicat: *Apparet quod in persona justificati hominis locutus est (Apostolus.) Nam affectus huiusmodi suspirantis, egre ferendo statum carnis, manifeste affectus est, non solum justificati, sed sancti viri, miserum se profitentis ratione affectuum carnaliū, & suspirantis pro liberatione.* Probaremus hæc Cardinalis verba, si per *justificatum*, in cuius persona Paulum locutum ait, intelligeret per imputatam justitiam Christi, non per infusum charitatis habitum talem; si per *virum sanctū*, sanctitate Christi imputata, vel inhærente inchoata, imperfecta, non perfecta talem notaret, & *carnem*, sive concupiscentiam, *peccatum vere & proprie tale* esse agnosceret. Id vero cum non sit, sensu adversarii à nostratibus, ceu alibi docetur, improbato, illa non admittimus.

§. XIII. Sequuntur itaque IV. *verba* ingemiscens ipsa, quibus Paulus renatus suam I. *deplorat, & agnoscit miseriam.* Ταλαίπωρος, inquit, ἐγὼ ἄνθρωπος, *miser ego homo.* Idem est, quod
C
alias

alias etiam dicunt: *Me miserum!* vel *ô me miserum!* Vocabulum *ταλαίπωρος*, an componatur ex verbo *ταλάω*, per Syncopen *τλάω*, *suffero*, *sustineo*, & *πῶρος*, *luctus*, ut nonnullis placet, ita ut *ταλαίπωρος* sit *ὁ τλάων τὸν πῶρον*, uti B. Wellero placet, Comment. h. l. An vero sit à *τάλας*, *miser*, ἀπὸ τῆς πῶρος, uti videtur *Eduardo Leigh. in Crit. S. N. T. p. 585*, cum nemine digladiabimur. Ita cum τὸ πῶρον non *luctum* tantum significat, sed etiam *callum*, item *duritiem lapidosam*, qualis in arthriticis & podagricis morbis datur; quin & *Reinesio* in variis Lect. l. 3. observante, certum lapidis genus notat, quod *Porus* dicitur, de quo *Plinius H. N. l. 36. c. 17.* etiam agit; unde verbum *πωρόω*, quod Græcis est *obdurare*, in lapidosam duritiem, in tophum convertere; quaeri posse videtur, num in composito *ταλαίπωρος* vox componens πῶρον in priori, an in posteriori spectetur significatione? B. D. Hoë Commenr. in Apoc. c. 3. f. 106. in voce *ταλαίπωρος* præferre videtur τῆς πῶρος sensum posteriorem, quod admodum miser sit, qui naturali *ταλαιπωρία*, & corde callo obducto, h. e. indurato, laborat. Sane caro, & naturalis corruptio in nobis inhabitans, non incongrue ejusmodi lapidosæ duritiei, qualis sæpe in articulis podagricorum & arthriticorum datur, comparatur, cum quod maximos illa pariat dolores, tum quod intime inhæreat, &, ut ita loquar, in juncturis ipsis ejusmodi afflictorum habitet, uti vetus homo in renatis inexistens illos sua vexat multiplici molestia, ita ut *ταλαίπωρος* ille sit dicendus, qui carnis, & veteris hominis insultibus, & aculeis, stimulisque sic affligitur, & cum ærumnis & miseris conflictatur, non aliter, ac illi, quibus lapidosæ in articulis collectiones dolores creant, ærumnosi & calamitosi sunt. Comparat itaque Apostolus τὸ σῶμα τῆς θανάτου ἵκτε, *corpus mortis hujus*, cum ejusmodi πῶρον, atque in juncturis arthriticorum & podagricorum facta lapidosa collectione, quæ suis quos parit doloribus magnas excitat ærumnas; atque *ταλαίπωρον* se vocans, significat pari modo se afflictum, miserum & ærumnosum reddi carnis vetustate, in se inhabitante, atque stimulis suis vexante, quæ refrenata, & coërcita, majori molestiæ sensu remordet, quam illi sentiunt, qui lapidosis ejusmodi in articulis suis laborant collectionibus, & summas experiun-

periun-

periuntur molestias: Ταλαιπωρία sua licet spiritualis, & in anima sit, cum isti, quibus se comparat Apostolus, talem in corpore experiantur, quasi diceret: Me miserum, & ærumnosum, qui internis istis concupiscentiis, quæ me invitum agunt, & abripiunt, ad facienda quæ non volo, quarum etiam ex lege, sub gratia licet sim, agnosco reatum, & quas ceu renatus, & iustificatus, cui vitæ novitas curæ cordique est, Rom. 6. 4. detestor, & averfor, non aliter vexor, ac internis doloribus, & mentis cruciatibus, non aliter affligor & patior, cum mortificationi carnis intentus sum quotidianæ, ejusque reatum considero, & quod à Christo, cui omnis impuritas displicet, *ab omni iniquitate redemptus sim*, Tit. 2. 14. fide perpendo, quam illi qui quotidianis & diuturnis tophorum doloribus, in diuturna arthritide vexantur, & suas ærumnas querula voce aliis exponunt.

§. XIV. Etiam vox ταλαίπωρο legitur Apoc. 3. 17. ἔκ δὲ ἰδαι, ὅτι οὐ εἶ ὁ ταλαίπωρο καὶ ἐλεεινός, καὶ πτωχός, καὶ τυφλός, καὶ γυμνός, non scis, quod tu sis miser, & miserabilis, & egenus, & cæcus, & nudus? quæ, cum πτωχός, τυφλός, & γυμνός, de spirituali, quæ ratione animæ talis, egestate, cæcitate & nuditate exponuntur, bene etiam de spirituali miseria explicari potest, etsi necesse non sit, ut illa hoc loco Apocalyptico per omnia eodem se habeat, & explicetur modo, quo Paulus in nostro dicto se ταλαίπωρο appellavit. Retinetur tamen interim significatio τὸ πῶρο, qua duritiem lapidosam, & callum notat, si explicandum, qua ratione Angelus Laodicensis Phrygiæ Ecclesiæ, ταλαίπωρο à Christo miser fuisse dicatur, etsi non ea, qua Paulus ingemiscens se ταλαίπωρον nominavit, ob ærumnosas, molestasque carnis & spiritus mutuas concupiscentias, atque pugnas, quibus varie defatigatus fuerat; non quod, quæ Haymonis, Episcopi Halberstadenensis, Com. in Apoc. l. 2. ad h. l. frigida, ἀνίγραφο, & ἄσκοφο est interpretatio, seipsum deceperit, putans se salvari per fidem solummodo, cum scriptura sit: Fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa; sed potius, quæ B. D. Hoei h. l. est explicatio, ob cor durum, & quod callum quasi obduxit. Expressius ad textus circumstantias D. Clu-

verus Com. h. l. Laodicensæ Ecclesiæ Angelum *ταλαίπωρον* dici vult, quod *servitio Mamona*, divitias suas jactans, *assuetus, variis sollicitudinibus, & curis se sic excruciaverit, ut dedoluerit, nec senserit amplius defectum suum*: Tali sane modo Paulus non fuit *ταλαίπωρος*.

§. XV. Cæterum quanquam hæc ita se habent, ut vocis *ταλαίπωρος*, qua ex *τάλας miser*, & *πῶρος callus, tophus*, componitur, significatio, cum in nostro, tum in aliis etiam locis, eo quo explicavimus modo, ceu bona & literalis admitti queat, non tamen est cur eam opponamus significationi, & explicationi illorum, quibus *ὁ ταλαίπωρος* est quasi *ὁ τλίων ἢ πῶρον, qui sustinet, fert, & patitur luctum, & luctuosa; h. e. qui tribulationum luctuosarum oneribus assidue premitur; qui affligitur, & afflictiones sustinet, calamitatem & miseriam ferens*. Uti enim prior explicatio speciem & modum *ταλαιπωρίας* connotat, explicandum licet ex circumstantiis textus; ita posterior significatio generalior aliquanto est, & ex se, à modo & causa miseriam magis abstrahere videtur, licet ex circumstantiis textus id quod hominem *ταλαίπωρον* reddit, investigari possit, uti nostro loco *τὸ σῶμα τῷ θανάτῳ τέτυκε*, & tophus ille carnalis appellari potest, qui Apostolum reddidit *τάλας miserum*, & luctus, *objective* scil. sive luctuosa illa res, quam Paulus *τίτληκε*, *anhelans sustinuit*. Dici itaque potest, quod *ταλαίπωρος* significet *ærumnosum*, ex ærumnis, & calamitatibus miserum, & afflictum; in hypothese autem notet vel miserum à vetustate carnis inhabitante, & tophi instar articularis inhærente vexatum, tristem etiam ob peccati reatum, quem istam vetustatem ex sua natura, & per se, secum ferre novit, quam proin etiam ceu renatus, non sine dolore, extremo odio prosequitur; vel ob cordis callum, & indurationem talem, prout nimirum ex textus circumstantiis causa & modus *ταλαιπωρίας* explicari amat. Quemadmodum & verbum *ταλαιπώρω*, quod à *ταλαίπωρος* descendit, & significat *labores & ærumnas sustineo, miser sum, fatigor, vexor, affligor*, & de temporali, externa, hujus vitæ afflictione, & de interna, spiritali, ex causis spiritalibus, v. c. peccatorum agnitione, seria & dolorosa contritione, & pavoribus conscientiae, exorta, accipi non repugnat. Quid ex *Thucydide, Platone, Sophocle, Euripide* & aliis notatum hoc nomine,

nomine,

nomine, apud alios legatur, non adducimus. Sufficit nobis locus ex *Jacobi* 4, 9. *ταλαιπωρήσατε*, *affligimini*: Quod verbum nos de *afflictione interna pœnitentia* interpretamur, cujus signa externa sunt *luctus*, & *ploratus*. Præceptæ pœnitentiæ exercitium, quo pacto peragere debeant, qui operibus carnis indulserant, c. 4. v. 1. seqq. docet Apostolus, ex Joël. 2. 12. verbis desumpta formula: *Convertimini ad me* (conversione sc. intransitiva) *in toto corde vestro*, & *in jejunio*, & *in fletu*, & *planctu*. Interna est hæc conversio, ad quam interna afflictio pertinet, quæ complectitur dolorem de peccatis exortum, anxium hominem reddentem, ejusque animum, & corpus aggravantem, cujus effectus & signa sunt fletus, planctus, jejunium, de quo B. D. *Johan. Musæus* de *Convers. hom.* Disp. 2. c. 4. §. 71. p. 86. seq. *Eduardus Leigh.* in *Crit. S. N. T.* p. 585. etsi concedat, verbo hoc non significari *externum hominis statum*; sed *internum animi affectum*, non tamen satisfacit, cum sic explicat verbum *ταλαιπωρήσατε*, i. e. *ita animo affecti estote*, ac si *affligeremini*. Utrumque enim præcipit Apostolus. Nec sincerum pœnitentis *πάθος*, absque sensu doloris, qui est afflictio quædam interior, esse potest. Usque eo hoc manifestum, ut etiam *Balthasar Paes*, Lusitanus, *Comm. in Epist. Jacob.* l. c. p. 660. *propius scripserit accedere*, ut videtur ad mentem *Apostoli D. Thomam*, MISERI ESTOTE, id est *miseriam vestram recogitate*, & *recognoscite*, in quam sc. per peccatum incidistis. Hæc enim si seria est, & ex Dei verbo instituitur consideratio, sui displicentiam, dolorem, & tristitiam, aliasque pœnitentiales parit passiones.

§. XVI. Explicat vero etiam II. Paulus quodnam sit, fueritque, quod se *ταλαιπωρον* fecerit: *Σῶμα* nimirum τῷ *θανάτῳ* τέτε, *corpus mortis hujus*. Hæc quod attinet verba, supra jam dissensum interpretum notavimus, quorsum pronomen τέτε, *hujus*, referri debeat, & quid demonstret, num ad τὸ *Σῶμα*, an ad τῷ *θανάτῳ*. *Cajetanus* h. l. id relinquit in medio. Nos supra dictis addimus verba *Flacii* in *Clav.* f. 685. *Nec illud quidem recte factum est*, quod pronomen *λέτε*, *hujus*, ad corpus transtulerint, cum *Paulus* eo monstret illam mortem, de qua toto agit capite, nempe *corruptionem originalem*. Bene hæc *Flacius*. Dependet ergo du-

bii hujus, de rite collocando pronomine demonstrativo *ἑαυτοῦ*, decisio, à genuina explicatione verborum textus Apostolici, & si recte fuerit explicatum, quid sit τὸ *σῶμα τὸ σαρκίαν*, in quorum verborum expositione doctissimos quosque variare commentatores, supra jam vidimus. Quibus *corpus mortis hujus* placet explicare per *corpus mortale*, quod sub morte per violentiam captivum tenetur, & morti obnoxium factum, uti Chrysostomo, & Theodoro visum, quos secuti sunt Lyra, Cornel. à Lapide, l. c. Bellarmin. de amiss. Grat. l. 4. c. II. l. 5. c. 7. ex nostris etiam Baldwinus, Hoë, l. c. Glassius; nisi in sensu consecutivo, ceu Cornelium fecisse fere videtur, vel per accommodationem cum Augustino loquantur, illi menti Apostoli, primæque ejusdem, & literali verborum intentioni respondere non videntur, cum in præcedentibus non de hoc, quod corpus suum mortale, morbisque compluribus, & moriendi necessitati obnoxium fuerit, egerit; unde etiam, si primam ejus intentionem spectemus, de hac imbecillitate noluit præcipue exclamare. Nec apparet, qui à consideratione interni belli inter appetitum carnalem & spiritualem, ut loquitur B. Hülfemann. Brev. c. 16. §. 4. sic ad deplorandum corpus suum mortale descenderit Apostolus, ut hoc potius præ oculis haberet, quam concupiscentiæ nunquam quiescentis, & contra spiritum nunquam non concupiscentis malum, hujusque reatum, de cujus molesta importunitate vers. proxime præcedenti questus fuerat. Ne dicam, corpus hoc nostrum mortale esse subjectum secundarium harum afflictionum, quas caro nobis regenitis creat. Rectius proin dicitur, Paulum liberationem anxie à malis his desiderantem, petiisse potius liberari ab afflictionibus ipsis, & illas proin etiam intellexisse, quam à subjecto malorum horum secundario. Unde cum nulla probari possit necessitas verbis his urgendi Hebraismum, de quo B. Balduin. & Glass. Gram. S. p. 35. in Philol. S. p. 401. retinemus illam explicationem, quam simplex verborum suppeditat connexio, quæ de rebeli internæ concupiscentiæ malo, ejusque secundum legem reatu, τὸ *σῶμα τὸ σαρκίαν* explicat.

§. XVII. Nec est quod excipiatur, utrumque formula hac loquendi comprehendendi, & concupiscentiæ malum originale in nobis

nobis residuum, veterem illum hominem, vetustatemque carnis, & peccati hujus stipendium mortem; quodque hæc B. *Augustini* fuerit sententia, quam suam cum aliis etiam fecerint *Momma* Reformatus; *Cornelius à Lapide*, & B. *Glassius* noster, in Philol. S. l. c. ita notans: *Quis me liberabit ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου ἡμῶν, ex corpore mortis hujus, h. e. ex hoc corpore mortali: seu ex hoc corpore mortifero, quod istam tetram originalis peccati pestem, & ejus stipendium mortem, circumfert.* Cum enim de ipso corpore humano per totum contextum, ad finem usque capitis, quo de hac interna militia depravatæ naturæ residuæ cum gratia Spiritus sancti sanctifica & renovatrice agitur, nulla unquam facta fuerit mentio, nullaque nos aliunde etiam urgeat necessitas, ob rationes etiam proxime allatas, literalem formulæ sensum non latius extendimus, quam ipsa verborum cohærentia nobis præcipit; quicquid sit de sensu consecutivo, qui per consequentiam ex sensu literali infertur, virtute cujus etiam B. *Augustinus* nostrum locum ad resurrectionem mortuorum fidelium accommodavit, ceu verba supra producta perspicue docent. *Vorstij* interpretationem supra allatam quod attinet, qua *corpus mortis pro ipsa morte, seu extrema miseria* poni affirmat, si non inepta, insufficientis certe est. Inepta, si de morte corporis loquitur, quæ Christianis fidelibus non *extrema* dicitur *miseria*, sed Gentilibus, conf. *Aristot.* 3. *Ethic.* c. 6. cæterisque, qui *omni spe destituuntur*, 1. *Thess.* 4. 14. Ne dicam, de morte hac in toto contextu nihil haberi, ita ut non appareat, quâ ad hanc de morte exclamationem *Apostolus* tam subito lapsus fuerit. Sin vero aliud afflictionis genus intelligit, de extrema miseria differens, cur non in quo illa consistat, exposuit? Sed satis patet, generali hac glossa usum *Steinfurtensem* Doctorem, ne distinctius loquens, vel *Reformatos* suos, vel *Arminianos*, vel *Socinianos*, de peccato, & miseria hominis, non idem sentientes, offenderet. Conf. de hoc *Vorstio* *Johan. Lat. Hist.* p. 699. *Dorsch.* in *Pentad.* p. 18. *Calov.* *Armin. D. I.* p. 9. seq.

§. XVIII. Nobis, quid sit τὸ σῶμα τὸ θανάτου ἡμῶν, corpus mortis hujus, placet I. illorum sententia, qui hoc nomine intelligunt *prava concupiscentia carnalis malum, in regenitis residuum, quod*
adver-

adversus spiritum concupiscendo, Gal. 5, 17. illis qui ἐνοχῶς, pie, in Christo Jesu vivere volunt, 2. Tim. 3, 12. tantum doloris, molestia & negotij facessit, & in transversum contra voluntatem, haud raro abripit, quotidianaque lucta exercet, ne dormientibus parcens. Sic enim explicat B. Irenaeus, seculo Apostolorum vicinior Chrysostomo & Theodoro, loco supra notato, intelligens infirmitatem hominis, de qua Apostolus locutus dixit: Scio quoniam non habitat in carne mea bonum; internam corruptionem notans, quæ cum rationi, tum appetitui adhæret. Unde B. Augustinus l. c. ex l. de Nat. & Grat. contra Pelag. c. 55. de vitiis corporis, animati sc. quod & ipsum subjectum est inhætionis hujus mali, Matth. 5, 29. c. 18, 8. Rom. 6, 12. 13. verba hæc interpretatur. Disquirens etiam quid sit corpus peccati Abbas Theonas, Collat. 3. c. 16. hoc est corpus mortis, inquit inter alia, quod emulantes angelicam sanctitatem, & volentes Domino jugiter inherere, perfectionem tantam hujus boni, quia corpus mortis obsistit, invenire non possunt, sed faciunt malum quod nolunt; satis innuens corpus mortis esse peccatum internum, in nobis inhabitans, Rom. 7, 17. seq. 20. 21. depravationem naturæ, indeque ortam perpetuam militiam carnis & spiritus, ut loquitur B. D. Aegidius Hunnius; & quæ B. Hülsemanni Brev. l. c. explicatio est, bellum appetitus carnalis & spiritualis. Ipse etiam Glassius cum in Grammatica S. corpus mortis significare corpus mortale affirmasset, in Rhetorica S. tract. l. c. 9. pag. 212. in Philol. S. p. 1199. Peccatum inhærens vocat corpus mortis, hoc est, quod non nisi mortem, & corporalem, & æternam producit. Annunt Flacius in Clav. f. 190. Gerhard. de Peccat. Act. §. 49. Chemnit. Exam. C. T. P. l. f. m. 99. B. Wellerus Comment. loco supra adducto. Ex Pontificiis Cajetanus, Hager. in Collat. A. C. & C. T. Ex Calvinianis Cappellus, Acontius, quibus addimus Ludovicum de Dieu h. l. p. 96. indicat, ait ille, Apost. tristissimam & infelicissimam esse mortem, quam ex reliquiis potestatis peccati in corpore suo sentiebat. Addimus tamen II. simul Apostolum exprimere voluisse hac formula, & intelligere reatum concupiscentiæ, & quod per se mortem æternam inferat, & proin natura sua peccatum mortale sit, ceu communiter de hoc malo, & ejus motibus etiam primo primis à
nostra-

nostratibus docetur. Sic explicant Apostolum etiam B. D. *Hülsemann*. in Manual. A. C. p. 63. sq. B. D. *Sebast. Schmid*. Paraph. h. l.

§. XIX. Probaturo vero hæc sententia, quod concupiscentiam in carne hærentem, & mortis, quantum in ipsa, ream, tam miserabiliter ejulando intelligat per *corpus mortis hujus Paulus*, inde, quod in antecedentibus, quam misere à malo hoc, quod ex lege, quæ iram operatur, Rom. 4, 15. peccatum ex se mortale esse cognoverat, c. 7, 7. tanquam à *tyranno* secum pugnante, uti *Chrysostomus* explicat, fuerit vexatus, quantos etiam sibi dolores illius sensus molestus creaverit, quantoque onere vetus homo sibi incubuerit, Apostolus exposuerit. Facto ergo hoc gemitu flebili exclamante, & quod tanto onere eum presserat *corpus peccati* appellante, recte colligitur, prius passa & exposita, afflictum hac appellatione indigitare voluisse. Accedit his pronomen demonstrativum *ἡ*, quod mala ab Apostolo perpessa, & ab eodem explicata, manifeste respicit, quasi diceret Vir sanctus ingemilcens: *Me miserum! quis me liberabit à corpore hujus mortis, quod uti hæctenus enarravi, usque eo contranitendo, & in bono impediendo me vexat, ut etiam agam quod bonum non est, & quod malum esse agnosco, non absque reatu mortis æternæ, si legaliter hoc examino, licet non sub lege, sed sub gratia, & proin ab hoc reatu liber sim.* Plana hic omnia sunt. Accedit quod hac explicatione admissa sequatur, *corpus mortis* dici posse, imo non posse tantum, sed etiam debere dici *corpus peccati*; id quod omnino ita statuendum est, cum hac loquendi formula etiam *Paulus* utatur Rom. 6, 6. Seipsum enim quid *corpus peccati* sit, explicat Apostolus illo ipso loco, *vetus sc. homo*. Est vero hic *vetus homo* aliud nihil, quam *peccatum in nobis inhabitans*, ut in c. 7. v. 17. 20. *lex in membris* renatorum, uti v. 23. loquitur, quam verbis proximo versu subjectis appellat *corpus mortis*, uti Rom. 6, 6. *vetus homo* dictus fuit *corpus peccati*. Nimirum uti *vetus homo* Rom. 6, 6. & *lex in membris* Rom. 7. v. 23. idem concupiscentiæ peccaminosæ notant malum, ita *corpus peccati* Rom. 6, 6. & *corpus mortis* Rom. 7, 24. idem significant.

D

§. XX.

§. XX. Cæterum ut hæc magis pateant, explicandu n etiam est, quid sibi τὸ Σῶμα velit? & cur hoc concupiscentiæ carnalis malum Σῶμα vocetur? cur ei *corpus* tribuatur? Figurate hoc dici, dubitari nequit, quemadmodum etiam figurato loquendi genere ἀμαρτωλὸς, peccator, v. 13. κατεργάζεσθαι, operari, efficere, v. 17. ἐνοικεῖν, v. c. 20. ἀντιστῆναι, repugnare, rebellare dicitur v. 23. Destituitur enim ceu accidens, vero corpore. Quemadmodum itaque per *προσωποποιίας* peccato tribuuntur actiones, quæ sunt personarum & suppositorum corporeorum, ita etiam per eandem figuram ei tribuitur corpus; non quod substantia sit, uti *Manichæi Augustin.* de hæres. c. 46. *concupiscentiam carnalem, qua caro concupiscit adversus spiritum*, substantiam contrariam esse asseruerunt, & superiori tempore *Flaciani* delirarunt, notati hoc nomine in *Form. C.* art. 1. sed majoris emphasis causa, non tantum quod, explicante *Glassio Rhetor.* S. p. 211. *tantas in nobis vires exferat, jugiter ad malum sollicitando, impellendoque, & in consentientibus mala atrocia efficiendo, ac si esset corpus quoddam vivum, ac res quadam per se subsistens.* conf. *D. Calov.* Exeg. A. C. art. 2. c. 7. §. 7. sed etiam quod ab ipso malo, concupiscentia sc. & corrupto hoc statu liberari optaverit.

§. XXI. Dicitur autem pessima hæc peccati inhabitantis, & nos tam misere, renati licet simus, vexantis moles, θάνατος, mors, Σῶμα τὸ θανάτου, uti verba textus habent, *corpus mortis*. Satis constat, nomen hoc in diversas patere significationes, quas omnes adferre nimis prolixum foret. *Sedulius* in c. 6. Rom. diversas mortis species enarrans, *prima*, ait, *mors est separatio animæ à corpore: Secunda separatio animæ à Deo, quæ per peccatum evenit: Tertia est secundum illud, quod autor mortis Diabolus mors appellatur: Quarta mors inferni lacus, qua prevaricatrices animæ detinentur.* Dicitur etiam & illa mors laudabilis, qua peccator quisque moritur pœnitens, & Christo inseritur. Ex his acceptio- nibus illa quæ secunda dicitur, videri possit hic habere accom- modando locum, si non tam de actu ipso, actuali nimirum separa- tione, quam de merito, h. e. de eo, quod ejusmodi actualem separationem meretur, accipitur: Uti *B. Glassius* rursus *Rhetor.* S. Tract. I. c. 2. p. 26. in *Phil. S.* pag. 1063. per *metonymiam*, qua effe-

effe-

effectus ponitur pro causa, *Id mors pro malis, calamitatibus, plagis, qua mortem inferre possunt, sumi* affirmat, Exodi 10, 17. Apoc. 6, 8. Rom. 7, 24. qui noster locus est. Docuerat idem antea *Flacius Clav.* f. 685. Utrique enim concupiscentia illa interna, quæ pondus & malum est, quod *hominem affligit velut mors*, explicante *Hülsem.* Man. p. 64. uti non materialiter tantum, sed formaliter etiam secundum legem peccatum est, ita ex se & legaliter spectata, est meritoria separationis à Deo; ita ut Apostolus de concupiscentia, tanquam malo *mortifero*, ut *Cappellus* h. l. loquitur, quod *ceu malum mortis, quantum in ipso, reum*, secundum *Seb. Schmid.* h. l. æternam mortem meretur, & inferre potest, queri dicendus sit, quasi diceret: Me miserum! quis me liberabit à re hac mortifera, à malo hoc mortifero, quod secundum legem non nisi mortem æternam, separationem à Deo, & corporalem etiam meretur, & reatu ejus. Probatum contra *Bel-larmin.* de Amiff. Grat. 5, 10. B. *Chemnit.* nostrum impugnantem, hæc explicatio ex antecedentibus. Dixerat enim Paulus capitis hujus v. 7. seqq. quod concupiscentia per legem, quod esset peccatum, agnita, se reum æternæ damnationis fecerit, & per legem sibi ostenderit, quam vere, & damnabile esset peccatum, v. 13. ira Dei sc. sibi annunciata per eandem. Rom. 4, 15. Hujus concupiscentiæ, *mortem ex se gignentis*, vim, qua ratione, etiam renatus adhuc, senserit, v. 14. & seqq. ad v. 24. usque ostendit, ea mentis afflictione, ut propter malum hoc inhabitans, quod suam peccaminosam naturam interim non mutavit, & in Paulo renato non minus peccatum fuit, v. 14. 17. 20. quam in Paulo irrogenito, v. 7. ingemiscens flebili ejulatu exclamaret: *Me miserum, quis me sub peccatum venundatum, v. 14. ab inhabitante hoc, & damnabili malo, quod mortem æternam meretur, liberabit?* omnino etiam quatale illud intelligens. Pater idem dein etiam ex consequentibus, capitis nimirum seq. 8. v. 1. cum se consolatur, quod *nulla sit condemnatio in his qui sunt in Christo Jesu, qui non juxta carnem versantur, quod à se abesse* v. 18. seqq. c. 7. docuerat, sed *juxta spiritum*, quod se facere vers. 22. 25. capitis ejusdem notaverat. Add. B. *Hülsem.* Man. A. C. contra *Hager.* Disp. II. §. 27. p. 64.

§. XXII. Patet verò ex his, quod pronomen *τὸ* non ad *τὸ* *κόμα*, sed ad *τὸ* *θανάτου* referri debeat, cum *mortis* nomine illam plagam, pestem & calamitatem intelligat, de qua in præcedentibus egerat Apost. concupiscentiam sc. ejusque reatum. Hujus gratia cum ingemiscit, pronomine hoc vult monstrare, quodnam illud sit, cujus gratia flebiles istos gemitus duxerit, calamitas nimirum illa, & malum mortiferum, & separationis à Deo meritorium, de quo toto capite actum, concupiscentia sc. ut dictum, tam *actualis*, quam *habitualis*, & cum hac adhuc conjunctus status corruptionis.

§. XXIII. Cognoscitur ex his, quod uti quotidianum mali hujus, perpetuo in Apostolo contra Deum, ejusque legem tumultuantis, & ad peccandum involuntarie etiam abripientis, sensum expertus fuit Paulus, ita quotidie etiam, ex infirmitate licet, & propter fidem sc. venialiter peccaverit, Rom. 7, 25. c. 8, 1. cum quamdiu corpus mortis circumgestat renatus, & caro spiritui repugnat, lex perfecte impleri non queat, Rom. 7, 18. *Cheronit.* Exam. Conc. Trid. P. l. f. m. 182. seq. Dum vero internam istam peccati massam *corpus mortis* appellavit, & quidem quod per se morte dignum sit æterna, in quotidiana hujus peccati, ceu fontis omnium peccatorum actualium, agnitione eum fuisse quotidiana sua pœnitentia occupatum, apparet; ita ut de sua tristitia, & dolore quem hoc nomine concepit, pavoribus item conscientiae, lege se exerente, quos sensit, Rom. 4. 15. c. 8, 1. 33. seq. peccati reatum ex lege considerans, *Form. C.* p. 595. sub lege licet non esset, & se non esse probe sciret, testatus fuerit, *propter concupiscentiam in carne hærentem tam miserabiliter*, ut *Gerhardus* de Pecc. Act. §. 49. loquitur, *ejulandos*. Signum hoc fuit internæ, ejusque seriæ contritionis, fide licet temperatæ, in Paulo ceu justificato. Fidem consequens talis dicitur contritio *B. Carpzov.* Ifag. p. 847. Quotidie autem hoc fecisse Apostolum, ipse significat, cum *in presenti* per totum contextum loquitur, innuens, sicut sensus mali semper præsens, cum *inhabitare* se id dicat, ita sibi illud semper displicere, & querulas hoc nomine se exprimere voces.

§. XXIV. Seria fuit hæc agnitio & contritio, in credente etiam post justificationem, ita ut *corpus mortis* accusans, non *habitu-*

bita-

bitualem tantum & originalem, sed & omnem actualem concupiscentiam intellexerit Apostolus, Rom. 7, 17. 20. cæteraque involuntaria, ex infirmitate commissa, non regnantia, venialia, tam interiora quam exteriora, tam contra Deum, quam contra proximum à se commissa peccata. Rom. 7, 19. Nemo inquit Lactantius Instit. 6, 13. sine delicto esse potest, quamdiu indumento carnis oneratus est, cujus infirmitas triplici modo subjacet dominio peccati (quod ratione sensus sc. ut loquitur Hunn. in Comm. ad Rom. 7, 14. & conatus, in renatis tale, citra horum consensum, Weller. Comm. in Rom. Ep. p. 446.) factis, dictis, cogitatis. Cuncta enim hæc sunt in se mortifera, & mala culpæ. Horum gratia tristis, ut Chemnit. Exam. C. T. P. I. f. 95. loquitur, extat querela Pauli: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus. Negat quidem Bellarminus de amiss. grat. 5, 10. in Obj. 1. & 7. ex hoc loco probari, concupiscentiam esse peccatum proprie dictum, cum de morte æterna hoc loco ne verbum dicat Apostolus. Verum quicquid coram Deo renatos etiam miseros reddit, est peccatum proprie tale, & dicitur σῶμα τῆς θανάτου; etiam ratione mortis æternæ, cujus reos hos facit, qui non sunt ἐν Χριστῷ ἡσθῶ, Rom. 8, 1. Bene B. D. Hülsemannus Man. A. C. Disp. II. §. 27. cum monuisset, Apostolum vers. 25. Deo gratias agere pro præterita, & durante liberatione, de qua v. 24. addit: Si hoc, corpus mortis non potest significare corpus morti temporali obnoxium; quod contendit Bellarminus oppugnans Chemnitium; sed pondus quod affligit hominem veluti mors, & tandem æternam mortem infert. Dicitur enim mors quod peccatum consequitur, ex connexionione v. 23. & c. 8, 2.

§. XXV. Agnitionem hanc miseriæ, ejusque pœnitentem deplorationem, excipit III. *ingemiscens Pauli desiderium liberationis his verbis: Τίς με ῥύσεται*; Τίς, inquit, quis me liberabit, desiderium suum sic interrogando significans, non quasi de liberatore à peccato, ejusque reatu, & dominio perpetuo dubitaret, vel talem dari ignoraret: Contrarium patet ex Rom. 8, 1. ita ut interrogatio hæc, non dubitantis, & ignorantis, sed fiducialiter desiderantis, pro remissione item peccatorum orantis, & credentis sit, quasi diceret: *Jesus Christus me liberabit:*

D 3

Imo

Imo me jam liberavit, Deo propter Christum reatum mali condonante, ablato dominio ejus. *Nulla enim est condemnatio in his, qui sunt in Christo Jesu.* Annuit huic explicationi B. D. *Agid. Hunnius*, Comm. h. l. *Ex hac tristi*, inquit, *querimonia rursus fide se erigit* Apostolus, *respicendoque in beneficium Christi liberantis nos à reatu, & dominio peccati in hac, & ab omni omnino sensu ejus in altera vita, erumpit in letam gratiarum actionem, inquiens: Gratias ago Deo &c.* Infirmitatem etiam suam sic interrogans agnoscit; notante B. *Balduino* hoc loco; quemadmodum onere gravi pressi, sub quo sibi succumbendum, & pereundum esse sentiunt, alienum implorant auxilium. A peccatis enim, & pœnis peccatorum, horumque reatu, *utique liberare se non poterat*, notante B. *Augustino* de Nat. & Grat. contra Pelag. c. 55. Soli proin Christo suam liberationem refert acceptam. *Quis me liberavit?* quasi diceret: Nullus me liberabit, quam *Jesus Christus.* *Cajetani* h. l. verba meliora sunt, quam sensus, de quo supra. Unde subjicit v. seq. *Gratias ago Deo per Jesum Christum*, per quem scil. liberatus sum: Vel *gratias ago Deo*, qui me liberavit, liberatque *per Jesum Christum*, per quem habemus redemptionem. Col. 1, 13. seq. *Christi hinc potentiam* verbis his ostendere Apostolum, etiam *Chrysostomus* notavit; *Christum convenisse Paulum*, *Theophyl.* ait. Fidei itaque hic actus est, de cujus fiducia etiam testatur vocula $\mu\epsilon$, & fiducialis apprehensionis, & applicationis salvificæ Christi liberationis nota. Unde desiderium hac interrogatione expressum, non est desiderium rei absentis consequendæ, sed præsentis & possessæ, ulterius, imo perpetuo retinendæ. Rom. 8, 2. 38. seq. Preces enim hæc verba continent, quibus inhærentes sordes, & quotidianas infirmitates, sibi propter Christum condonari, & resistendi ulterius vires concedi petit.

§. XXVI. Desiderat verò Apostolus $\rho\acute{\upsilon}\epsilon\delta\epsilon$, *liberari.* Non inanis est conjectura *Eduardi Leigh.* Crit. S. V. $\rho\acute{\upsilon}\omega$, p. 531. cui *Latinorum Ruo*, unde compositum *eruo*, videtur ortum ex *Græco hoc $\rho\acute{\upsilon}\omega$* , ita ut $\rho\acute{\upsilon}\epsilon\upsilon$ idem sit Græcis, quod Latinis *ernere, liberare.* Secundum usum in scriptura sacra significat liberationem à malo quovis, Matth. 6, 13. Luc. 11, 4. B. D. *Dorsch.* in Theol. Zachar.

P. I.

P. I. §. 137. p. m. 155. notavit ex N. T. loca, quibus verbum hoc notat liberationem, interveniente merito Christi, tanquam pretio liberationis istiusmodi, factam, Luc. I, 74. ita ut *ῥύσαι* sit *λυτῶσαι*, *ῥύσις* autem idem quod *ῥωτῆς* & *λυτῶτις*, ad *Suidam* & *Hesychium* provocans. Locis illis, quibus verbum *ῥύω* significat liberationem talem, quæ fit per *ῥυόμενον*, servatorem, quem fecit DEUS *οἱς λύτρωσιν τῷ λαῷ, καὶ κέρας ῥωτηρίας*, Luc. I, 68. 69. etiam locum nostrum Rom. 7, 24. addit: Idque recte. *ῥυόμενος* enim liberator, cujus liberationem fiducialiter Apostolus implo- rat, & apprehendit, Christus est, ut jam notavimus, cum me- rito, cui si quis per fidem fuerit insitus, liber erit à mortis cor- pore, & reatu peccati inhabitantis, & legi mentis repugnantis, Rom. 8. *ψ.* 33. sq. Alibi etiam ipse Paulus docuit, quod libera- tionem à peccato, h. e. remissionem peccatorum, *ἁμαρτιῶν*, Coloss. I, 14. & *παρρησιῶν* Eph. I, 7. quæ qua talia, notante *Cajetan.* ad Gal. 6. rationem voluntarii non involvunt, Gal. 6, 1. non habeamus, nisi *διὰ τοῦ αἵματος*, per *Ἰ* propter sanguinem Christi. Desiderat itaque à reatu mortiferi peccati, concupiscen- tiæ sc. per satisfactionem Christi liberari quam maxime. *Hülf.* Man. p. 63. sq.

§. XXVII. Quando ergò quæritur, à quo mali genere libe- rari desideraverit Apostolus? Ex his quæ hæctenus super h. l. dixi- mus, patebit, non intelligi ab Apostolo *corpus mortale*, corpus morti obnoxium, morbis item, & ærumnis. De tali enim eum non loqui, supra vidimus. Hæc etiam liberatio non fit, nisi in morte, & resurrectione, observante *Augustin.* & monente *Cornel. à Lap.* cum liberatio de qua Apostolo sermo, ceu jam potis- sima ex parte facta celebratur, Rom. 7, 25. c. 8, 2. De concupi- scentia ergo qua malum est mortiferum, suaque natura nos reos mortis æternæ facit, & facere potest, inque boni studio nos im- pedit, ei est sermo, à cujus interna afflictione, & reatu potissi- mum, petit liberari, & liber manere: Imo ab ipso mali corpore, molestissimo animæ onere, liberationem penitus petiturus ge- mitibus, quam serio etiam exoptavit, si ita petentes in hac vi- ta promissio hoc nomine maneret. Pondus hoc malum est, quod affligit hominem velut mors. Rom. 8, 36. Exod. 10, 17. De con- cupi-

cupiscentiæ dominio præterea loquitur, ne in mortali suo corpore id exerceat, vel obtineat, & majorem indies renovationem impediatur, à quo gratia DEI etiã se liberatum testatur, quando *ψ. 25. ait. se mente servire legi DEI, carne vero legi peccati.* Quo loco facta illatio, *ἀεὶ ἔτι*, quam gemitui suo, & gratiarum actioni pro obtenta liberatione subjicit, inprimis observanda, quasi diceret Apostolus: Liberationem à reatu peccati, & mortis æternæ, ob malum hoc inhabitans, item à dominio ejusdem, uti petii à DEO per & propter Christum, fide à me apprehensum, consecutus sum, quo nomine etiã eidem gratias ago, manente licet ipso mali corpore, à quo non minus liberari optavi. Ergo cum DEO non ita vitum fuit, *servio sic mente quidem legi DEI, carne vero legi peccati.* Restat igitur, concludit B. Hülsemann. Man. A. C. Disp. II. §. 28. p. 66. *ut liberatio à peccato & morte, non sit facta, nisi à reatu peccati, & finali mortis dominio, quod extra Christi satisfactionem omnibus impendebat; & consequenter plene non nisi per beatam analy sin, ad quam pertinet liberatio ab ipsius mali inhabitatione, speranda fuerit; & adhuc in resurrectione futura speranda sit, de quo Form. Conc. p. 724. Licet verò non ab omni mali hujus pondere penitus fuerit liberatus, Rom. 7, 25. add. 2. Cor. 12, 8. potenti tamen suo auxilio, gratia, & solatio Sp. S. DEUS jam tunc hoc nomine ei adfuit, ne secundum carnem viveret, sed legi DEI potius mente serviret, ψ. 25.*

§. XXVIII. Denique & hoc notamus, quod cum alibi dicatur *ῥύειν τὸν τῷ πονηρῷ*, Matth. 6, 13. nostro in loco pro *ῥύειν* legatur *ἐν: Τίς μὲν ῥύσει ἐν τῷ κόματι τῷ θανάτῳ τῆς*; ad significandam magnitudinem hujus beneficii, & quod non simpliciter liberatus, sed è malo, quo captivus tenebatur, ereptus fuerit. Unde non Erasmus tantum, sed & B. D. Schmid. pro *liberabit Vulgati*, usurpavit *eripuit*. D. Paulus etiã Colos. 1, 13. redemptionis nostræ beneficium explicans, usus est *ῥήρυσεν*, *eripuit*; non simpliciter *liberavit*. Plus est, inquit Eduard. Leigh. l. c. *& magis magnificat gratiam DEI patris*. Quam significationem etiã *ῥύσει* nostro loco habet, ut idem sit quod *ῥήρυσεν*. Quæ vero sit hæc verbi hujus emphasis, præclare explicavit B. D. Seb. Schmid. in Comment. in Epist. ad Colos. 1, 13. p. 44. add. B. Carpzov. Isag. p. 1072.

p. 1072. Et hoc fuit exercitium fidei Apostoli quotidianum, uti supra doloris interni sensum in sancto viro quotidianum fuisse notavimus.

§. XXII. Præterea cum sic gemens, & à reatu mali hujus quotidiani *liberari* petens, etiam in statu *quotidiane mortificationis carnis* fuerit occupatus Apostolus, non solum infertur, continuatam conversionem stantium etiam fieri per quotidianam concupiscentiæ crucifixionem; sed etiam *sanctificationem*, & *renovationem*, hanc in hac vita manere multis modis *imperfectam*, cum remissionem hujus imperfectionis etiam quotidie Paulus à DEO petierit, & ob istam imperfectionem, ob reatum per se ei adhaerentem, etiam ingemuerit.

§. XXIX. Ex dictis sequitur i. *Renatos etiam stantes quotidiana indigere pœnitentia, & ad DEUM Conversione.* Vocabulum conversionis in scripturis bifariam accipitur: *Latiore* significatione dicitur de pœnitentia, quæ etiam in statu factæ jam conversionis, & insecutæ renovationis, durat. *Strictiori* vero notat illam mutationem mentis & voluntatis, qua homo à Spiritu Sancto è statu corruptionis in statum gratiæ per verbum prædicatum, & auditum, transfertur. Priorem conversionem B. *Hunn.* de Lib. Arb. t. I. Opp. f. 481. elogio *quotidiane pœnitentiæ* commendat, de qua appellatione etiam B. D. *Gerhard.* de Pœnit. §. 34. & 51. egit. Urgent hanc *ἡμετέριον* stantium quotidiana, Matth. 6, 10. peccato quod in nobis habitat, nunquam quiescente, & quotidie *bonum facere volentes* impediente, Rom. 7, 20. sqq. atque sic *peccante*, ψ. 13. ita ut hoc nomine, suas infirmitates agnoscens Paulus, *se miserum* coram DEO ingemiscendo pronuntiaverit. Rejicimus nimirum, cum veteres *Novatianos*, atque fratres horum *Catharos*, de quo *Daneus* ad *Augustin.* de hæres. c. 38. qui perfectam in hac vita fieri renovationem statuerunt, *puros se esse* professi, notante *Euseb.* H. E. l. 6. c. 42. atque *Donatistas*, idem asserentes, memorante *August.* l. 2. contr. *Parmen.* Ep. c. 7. *neminem esse inter collegas suos contendentem, vel seipsum, cum aliqua macula, aut vitio non membrorum, sed quod pejus est, morum;* negarunt enim *ibi Ecclesiam esse posse, ubi peccatum est*, conf. *Baron.* t. 3. *Annal.* ad an. Christi 321. f. m. 223. tum, ne de *Anabaptistis* quid dicam, quos indoctos *Socinianos* appellavit *Hoornbeeck*, *Summ. Controv.* l. 5. de *Anabapt.* p. 371.

E

Soci-

Socinianos, urgentes dari nonnullos pœnitentia haud indigos, *justos* nimirum, ex Luc. 15. & confundentes pœnitentiam lapsorum, de qua Christus loquitur l. c. cum pœnitentia quotidiana stantium, quæ fructus fidei est; quos confutarunt D. *Calov.* Socin. proflig. p. m. 770. B. *Scherzer.* Colleg. AntiSocin. disp. 91. p. m. 739. Add. B. D. *Joh. Musæus* contra *Stenger.* in gründlicher Ausführung der Lehre von der Buß. p. 627. 635. sq. Dnn. *Theol. Jenens.* Censur. II. contra eundem. Bene *Cyprianus*, gloriosus Martyr, Orat. Domin. f. m. 233. *Opus*, inquit, *nobis est quotidiana sanctificatione, ut qui quotidie delinquimus, delicta nostra sanctificatione assidua repurgemus.* Et f. 237. *Ne quis sibi quasi innocens placeat, & se extollendo plus pereat, instruitur & docetur peccare quotidie, dum quotidie pro peccatis jubemur orare.*

§. XXX. 2. *Objectum Pœnitentiae quotidianae sunt cum habituale concupiscentiæ malum originale, & reliquiæ peccati originalis; tum concupiscentiæ motus omnes, etiam primo primi, & secundo primi, & peccata proin actualia, quotidiana, ex infirmitate, vel ignorantia commissa, involuntaria.* Probat Pauli renati, & justificati exemplo, qui sub onere peccati ingemiscens, se coram DEO *miserum*, & peccatorem agnoscit, ob inhabitantem concupiscentiæ habitum, ob *hujus mortis corpus*, ejusque motus, ipso invito se exerentes, ob malum ab Apostolo *non volente commissum*, v. 16. 19. Falluntur enim qui voluntarium ad peccatum requiri urgentes, de actu concupiscendi voluntario tantum Apostolo sermonem esse fingunt, uti contendit *Bellarmin.* de amiss. grat. 5. 10. Lamentatur sane Paulus loco nostro pœnitenti corde, quod agat, quæ non probat, sed odit v. 15. omnem rationem voluntarii, & *αγαπήσεως* formalis, à se removens. Perperam etiam distinguitur hic inter legem Moïsi & legem Christi, quasi illa, non hac, peccata involuntaria, concupiscentia, & peccata ex infirmitate commissa, prohibita forent: Quo nomine *Stengerus*, imprudens Novatianismi assertor, à Dnn. *Theol. Jenens.* censura notatus fuit, Censur. II. & à D. *Joh. Musæo* im gründl. Bericht/ P. III. c. 6. p. 597. seqq. confutatus. Et licet peccatum originale Davidi remissum fuerit, labem tamen hanc DEO confessus; Ps. 51, 7. etiam peccatorum remissorum memoriam non omnino deponendam esse, suo docuit exemplo. ib. v. 5. Idem fecit Paulus. Conf. *Dannhauv.* Hodol. p. 1270.

§. XXXII.

§ XXXI. 3. *Subiectum conversionis huius continuata, & penitentia quotidiana, sunt renati stantes, in quotidiano agone constituti.* Stantes ita dicuntur, quod *fide stant*, Rom. 11, 20. 1. Cor. 16, 13. 2. Cor. 1, 24. *in gratia DEI*, Rom. 5, 2. *Verbo Evangelij*, 1. Cor. 15, 1. ob quotidianum istum agonem adversus carnem, diabolum & mundum, & iuge poenitentiae exercitium, alias *Luctantes* dicti. *Est enim*, ut ex Galat. 5. præclare rursus Cyprianus l. c. f. 23. *monet, inter carnem & spiritum colluctatio, & discordantibus adversus se invicem quotidiana congressio, ut non qua volumus ipsa faciamus.* Quomodo differant stantes, à relapsis, qui etiam quoad malitiae gradus variant, explicante Gerharo, Comment. in 2. Petr. 2. p. 323, & delictorum tam illorum, quam horum, quæ sit differentia, bene explicant Dnn. Theol. Ienens. Cens. I. contra Melchior. Stenger. Stantium horum statu Paulus fuit, *me miserum!* exclamans, vi peccati inhabitantis, inque peccaminosos motus, invitos licet, erumpentis, & secundum legem æternæ mortis reum eundem constituentis, ni fide in Christum liber ab eodem reatu fuisset. Bene, qualis sit hic status, Form. Conc. de tert. L. usu p. 722. explicat: Nimirum *quod credentes in hac vita non plene renoventur, sed vetus Adam ipsis usque ad extremum spiritum adhæreat, maneat etiam in illis lucta inter spiritum & carnem.* Sequitur hinc, quotidianam hanc per totum vitæ cursum exercendam poenitentiam, ad statum sanctificationis & renovationis pertinere; & uti Form. Conc. rursus loquitur p. m. 595. *concionem legis non modo apud irregentos, sed etiam apud credentes, & renatos & justificatos sedulo urgendam esse.* add. p. 719.

§ XXXII. 4. *Conversio stantium continuata, sive penitentia quotidiana, non est sine contritione quotidiana.* Sicut enim jugis peccatorum debet esse memoria, Davidis exemplo Ps. 51, 7. ita contritio durare debet per totam vitam, ut quotidie corde contrito oremus: *Remitte nobis debita nostra;* quo peccati sordes in nobis semper inhabitantes, & quotidianas infirmitates, etiam quotidie agnoscamus, & deploremus. Qualis hæc agnitio sit, & esse debeat, præclare more suo explicavit B. Lutherus t. IV. Ienens. Lat. f. 319. & t. VI. Altenb. f. 1271. Sic vero Paulus justificatus, & renatus, de præsentis, h. e. quotidiano suo statu locutus, ob peccatum inhabitans, ob concupiscentiam habitualiter, & originaliter adjacentem, ob malum quod non vult & odit, actu ab invito commissum, ceu corpus mortis, quod ex lege, peccati speculo & vitæ directorio, æternæ mortis reatum secum ferre noverat, flebili eulatu, *miser ego homo!* ingemiscens, aversionem suam à delictis ejusmodi quotidianis ostendit; certe non sine omni metu iræ divinæ, si ad legem respexit, Rom. 4, 15. etsi sub lege non fuerit; nec sine solatio, & fide, adversus istas legis minas. Eximia sunt quæ hic habet Form. Conc. p. 719 sqq. *cujus inter alia hæc sunt: Quoties credentes delinquunt, corripiuntur, & arguuntur à Spiritu Sancto per Legem: & ab eodem spiritu rursus eriguntur, & consolationem accipiunt per Evangelij prædicationem.* Interiori hanc contritionem, & cordis luctum, per gemitus, ejulatus, confessionem & humiliationem coram DEO, manifestavit; quæ tamen fide temperata, in Paulo renato & justificato, filialis timor fuit. Vivifica enim consolatione ex verbo Evangelij in credentibus legis terrores, ut ita loquar, naturales, ita Sp. S. tempe-

temperat, ut timor filialis, ceu commune *ὑποτέλεσμα*, inde surgat. Hoc sensu fidem sequitur contritio, de quo *Gerhard*, de Pœnit. §. 51. *Carpz. o. v. Ifag.* p. 247. *Dannh.* Hodof. p. 1273. *odium* item *peccati*, ejusque *detestatio*, & *execratio*, de quo *Dn. D. Isaac. Faust.* noster, in uber. illustr. quod fides *B. O.* pariat, *Disp. prior.* §. 18.

§. XXXIII. 5. *Eadem conversio, & pœnitentia quotidiana, non datur sine quotidiano fidei exercitio.* Tale hoc est, ut renati & credentes quotidie internarum istarum sordium, & quotidianarum infirmitatum remissionem petant, & propter Christum sibi etiam illas condonari firmiter credant, actuali, & ad finem vitæ usque continuata, in meritis & vulneribus Salvatoris recumbentia. Est enim conversio hæc stantium in fide, & justificatorum, fide etiam Christo infertorum, *Rom. 8, 1.* in qua proin non potest non dari commixtio contritionis cum fide, sine qua contritio placere Deo non potest. Quæ enim fidem in credentibus sequitur contritio, quando Spiritus Sanctus *mortificationis per legem, & vivificationis per Evangelium officium in illis facit,* cœu *Formul. Concord.* p. 720. seq. explicat, cum fide commiscetur, ut fiat salutaris contritio, quali stantes carere nunquam possunt. Nec aliter se habuit Pauli flebili gemitu ejulantis contritio, quæ fide sic fuit temperata, cum quod fuerit hominis renati, *v. 23, 25.* & justificati, *Rom. 8, 1.* tum ob desiderium, & statum liberationis à reatu peccati, quæ non nisi credentis esse possunt. *Conf. D. Calov.* *Socin. Proflig.* p. 764.

§. XXXIV. 6. *Conversio hac quotidiana quo integra sit, etiam seriam complectitur mortificationem carnis quotidianam.* Peragitur hæc, si carnem crucifigimus quotidie, cum passionibus & concupiscentiis. *Gal. 5, 24.* & spiritu facta corporis mortificamus, *Rom. 8, 13.* Fecit id Paulus, in mortificando veteri homine quotidie, non sine luctu, re non ex voto succedente, occupatus, ceu *cap. Ep. ad Rom.* septimum satis docet. Fecit quantum potuit, à reatu hujus peccati inhabitantis, & ejus passionum, non liberandus, nisi spiritu facta corporis mortis hujus mortificasset, *Rom. 8, 13.* Vbi particula *est*, et si non rei, sive *beatitudinis consequenda, Persona tamen conditionem* infert; de quo *Dnn. Wittebergens. Theolog.* *Antapol. contr. Rintel. Epist. Apol.* p. 504. *Hülsem. Calixtinisch.* §. w. c. 7. *Dannh. H. P. P. II.* p. 328.

§. XXXV. 7. *Conversio stantium quotidiana in hac vita manet imperfecta, & inæqualis.* Patet hoc Pauli renati, & justificati exemplo, quem sane in sanctificationis & renovationis studio nemo facile superaverit; qui liberationem quidem à reatu corruptionis inhabitantis, non vero à corruptione ipsa, & peccato inhabitante, pravis & peccaminosis motibus quotidie, in Apostolo ad omnem renovationem anhelante, eodem quam maxime invito, se exerente, consecutus est. Longe cum abfuisse à perfectione, patet, quod negaverit se *invenisse ut faceret bonum,* contra vim carnis rebellantis, *Velle licet adfuerit.* Inæqualis etiam hæc conversio manet, æqualis licet corruptio originalis, qua ab Adamo descendit, sit, ob accedentem perversitatem personalem, vel à parentibus per generationem acceptam, *conf. Sueton. Calig.* c. 25. vel alias malitio se contractam, vel corrupta educatione acquisitam, *1. Samuel 3, 13. Cornel. Nepos in Dion. cap. 4, 3.* accedente multiplici carnis, Diaboli, & mundi impedimento, & varia malitia; quæ mala inæqualiter vincuntur.

F I N I S.

